BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
27 Q
10

BIBL. TECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
4 B
26
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

h

Digitized by Google

INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM
S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR
AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. V.

DE PROFLUVIIS



ROMAE
Ex typographia Contedini 1833.
Ad Thermas Agrippae.

Digitized by Google

JOSEPH ROLLERIUS

SCHOLARUM PIARUM EX-VICARIUS GENERALIS

PETRO ALOYSIO VALENTINI

PAEONIA IN ARTE CLARISSIMO

PROPTER EJUSDEM

MEDICINAE PRACTICAE INSTITUTIONES

EPYGRAMMA

Paeone callidior Tu pharmaca certa propinas,
Ne vis morborum valdius invaleat;

Continuo ut membris cedat pallentibus ardor,
Atque aegris redeat qui fuit ante vigor;

Namque doces medica quidquid sanarier arte
Possit, et hinc morbos noscere multiplices.

Grande Opus, ingenti studio, atque indagine multa
Conscriptum; Vincet Temporis insidias.

Et quisquam rabido quamvis Hoc dente momordat,
Æterna extabit Posteritate super.

Google

CLASSIS QUINTA

PROFLUVIA

GENERALIA DE PROFLUVIIS

§. 954. Fluentibus contra naturae legem continentur profluvia. Quoniam plures sunt humores, et substantiae, quae è propriis vasis, et receptaculis praeternaturaliter secedere solent, hinc amplissimam morborum familiam nobis offerunt profluvia. In tanta vero horum amplitudine, et varietate, quae nam caussarum obscuritas, et ambiguitas adinvenitur! quot nam occurrunt foenomena saepissime non intellecta! Ne quis itaque forte miretur, si nobis de profluviis agentibus, in salebras offendere identidem contingat. Plurimae quidem ad eorum explicandam originem, statuendamque curationem effictae fuerunt, et constitutae hypotheses, ut chemicorum; mechanicorum; Sthalianorum; sectatorum pathologiae humorum, vel

solidorum, vel Brunonis systematis; etc. quae utpote vel omnino, vel aliqua parte fundamento destitutae, sibi invicem successerunt, et obsoleverunt. Etenim ab innumeris caussis, et inter se oppositis, et saepe numero non comprehensis scaturiunt profluvia, varia hinc ratione curanda. Quamobrem quavis seposita hypothesi, quidquid quoad caussas probabilius, et quoad curationem conducibilius videbitur, breviter exponemus.

§. 955. Tot sunt profluvia, quot extant humores, et substantiae, quae contra naturae institutum possunt effluere. Quodcunque autem sit profluvium, ejus praecipuus character est jactura vel nimis sollicita, vel nimis frequens, vel nimis copiosa alicujus substantiae in aliquem usum dicatae, et per aliquod temporis spatium continendae; aut alterius substantiae excrementitiae, ut sunt faeces, urinae, sudor; aut alicujus non ejiciendi humoris, ut sunt sanguis, chymus, chylus. Cum vero hujusmodi substantiae, et humores praeternaturaliter delabuntur, plura oriri debent foenomena plus, vel minus gravia, secundum qualitatem, et quantita-

tem dejectae materiae; diuturnitatem profluvii; temperamentum, aetatem, sexum aegrotantium; aliasque res circumstantes. Idcirco gravissima erunt, et saepe laethalia, quae immodicam comitantur sanguinis profusionem, ut summa virium debilitas, oscitationes frequentes, maxima anxietas, corporis pallor, pulsus exilis, obscuratio visus, aurium tinnitus, frigus praesertim extremorum, lipothymiae, convulsiones. Praeterea cum haemorrhagiae ab aliqua violentia, aut vasorum subitanea ruptura non proficiscuntur, comparent etiam antecedentia signa. Haemorrhagiae enim non contingunt, nisi prius sanguis in minoribus vasis cumuletur. Si itaque ab aliqua externa parte sit sanguis proditurus, circa eam observabitur tumor, venarum inflatio, rubor: si ab interna et profunda, quaedam oppressio; spirandi difficultas; molestus plenitudinis, pruritus, frigoris, caloris, lassitudinis sensus; palpitationes cordis; pulsus frequentes, irregulares, duri. Juvenes ex. gr. quibus instat haemoptysis, sensum oppressionis, doloris, subinde caloris in pectore; respirandi diffi-

cultatem ; tussim ; rigores per totum corpus; palpitationem cordis, dum conscendunt acclivia, solent experiri. Gravissima etiam prodeunt foenomena, si una cum humoribus in tubo alimentario secretis non concocta alimenta, et chylus ipse egerantur, ut macies ; lenta febris; sudores viscosi, partiales ; extremitatum tumor, et frigus, dum interno aestu flagrant intestina. Sic gravia surgunt, ubi deperduntur humores ad usum magni momenti constituti, ut saliva, bilis, aliique, qui per aliquod tempus contineri debent, ut prius nonnullis expolientur principiis, et inde alia inutilia eliminentur.

§. 956. Dividuutur profluvia in primaria, symptomatica, secundaria, consensualia, critica; sporadica, endemica, epidemica, contagiosa ; localia, universalia ; febrilia, non febrilia; periodica, acuta, chronica. Primaria a suis caussis habent originem : symptomatica ab alio morbo : secundaria alteri morbo, vel alteri succedunt profluvio : consensualia oriuntur a partium sympatheia, ut diarrhoeae ab extremitatum inferiorum, vel abdominis refrigeratione ortae per con-

sensum, qui inter cutem et membranam mucosam intestinorum intercedit; sed interdum profluvia, quae ut consensualia judicantur, sunt potius symptomatica, ut alvi fluxus puerorum, dum alia urgent difficilis dentitionis foenomena: critica dicuntur quae morbos vel acutos, vel chronicos resolvunt, ut ex. gr. saepe est haemorrhagia narium, per quam febris ardens, phrenitis, hepatitis judicatur; et interdum diuturnus capitis dolor evanescit: sporadica, quae nascuntur a particularibus caussis: endemica ab illis quorundam locorum propriis, ut est dysenteria tropicarum regionum, dum anni tempus est calidissimum, sed jam noctu aër frigescere incipit: epidemica ab universalibus: contagiosa, quae proveniunt a specifico contagio, ut aliquando dysenteria esse videtur: localia, quae excitantur a caussis in aliquam corporis partem agentibus: contra universalia, ut haemorrhagiae a vasorum repletione, et adaucta actione vitali profectae: febrilia, quae saepe stipantur febre, ut catarrhi, dysenteriae: rursus non febrilia: periodica constanti ordine remeant, ut fluxus haemorrhoida-

lis, et interdum diarrhoeae, quae certis temporibus redeuntes, salutares sunt: acuta, quae breviter cursum complent, gravibus symptomatibus, et etiam febre sociantur, ut hypersthenica sanguinis profluvia: tandem chronica, diuturna sunt, et habitualia. Praesertim vero haemorrhagiae aliam maxime utilem divisionem subeunt. Hae enim in activas, et passivas, seu hypersthenicas, et hyposthenicas dividuntur. Activae veniunt a vasorum sanguiferorum repletione, eorumque adaucta vi; passivae aut a repletione vasorum, et deficiente actione vitali, aut a maxima vasorum atonia. Animadvertendum vero est, quod haemorrhagiae, quas alii inflammatorias, alii activas, alii hypersthenicas appellant, saepe symptomaticae sunt, utpote a conditione inflammatoria cordis, arteriarum, venarumque productae. Haemorrhagiae autem vel activae sint, vel passivae, symptomatibus dignoscuntur, quae vasorum vim vel auctam, vel imminutam ostendunt.

§. 957. Caussam fluxuum modo in humorum, modo in solidorum, modo in utrorumque vitiis consistere arbitramur; quamvis

nec semper tuto, nec luculenter quae ejusmodi vitia sint, exponere possimus. Idcirco nunc ab aucta vel imminuta actione solidorum; nunc a nimia sensilitate, aut laxitate fibrarum; nunc ab humoribus aliquo modo peccantibus; nunc solidorum et fluidorum culpa oriri nobis profluvia videntur. Frequentior vero caussa est solidorum debilitas. Enim vero dum integra sanitas floret, inter solidorum vires humorumque quantitatem, qui in propriis vasis, et receptaculis continentur, constanter servatur aequilibrium; libere circumducitur sanguis, et ab eo secernuntur humores, aut per vasorum poros, aut per organa peculiaria, et omnia secundum naturae leges peraguntur. Sed in statu morboso, maxime si debilitas, aut aliquod, aut omnia invadat systemata, vel organa ad secernendam, aut retinendam aliquam substantiam addicta, persaepe contingunt profluvia. Per hanc enim caussam nullo negotio distenduntur vasa, et etiam rumpuntur; exudat sanguis per eorum parietes; serum, lympha, aliique humores praetermodum separantur: a debilitatis glandulosis cryptis

immodice secernitur mucus : ab atonia ventriculi, et intestinorum diarrhoeae, vomitusque frequentissime exoriuntur. Plures itaque hodierni scriptores in partium debilitate, ab universali forte producta, praecipuam caussam fluxuum ponunt ; diathesin in atonia vasorum et receptaculorum, quae humores, et substantias continent ; pathologicam autem conditionem in partium distensione, et in affectione, quae dici potest morbosa. Verum quamquam indubium sit, quin partes, et vasa debilitate affecta dilatentur, et distendantur a fluidis, quae inde per poros, aut per scissuras effluunt ; etiam indubium est, quin ab opposita caussa, videlicet a nimio solidorum vigore, et aucta vitali actione, interdum nascantur profluvia. Ex hac enim implentur, et distenduntur vasa, et in diversis organis separationes adaugentur. Crebro ex hoc fonte haemorragiae manaut, quae dicuntur activae. Item certum est, nonnunquam oriri fluxus per humorum culpam, quoad quantitatem, aut qualitatem peccantium. In temperamentis plethoricis ob redundantiam sanguinis frequentes sunt hae-

morrhagiae ; quamvis in hisce temperamentis non solum exuberare sanguinem, sed etiam cor et vasa majore irritabilitate gaudere non inficior : sic frequentes sunt, ubi sanguis est tenuis, et solutus; quamvis hoc in casu fibrae nimia laxitate laborant, unde vitalis humor per vasorum parietes facile desilit. Urina dum est valde acris et exstimulans, esse potest enuresis caussa : sic lacrymarum fluxus est saepe earum acrimoniae effectus. Tandem profluviorum origo est interdum a solidorum, fluidorumque vitiis una simul junctis procul dubio repetenda. Haemorrhagiae enim, ut modo observavimus, in temperamentis plethoricis et a nimia sanguinis copia, et ab aucta actione solidorum; in temperamentis debilibus, in hominibus valetudinariis, et aliqua labe affectis, a dissolutione sanguinis, et a fibrarum laxitate promanant. Subinde in caussa est humorum acrimonia, et immodica solidorum sensibilitas; ut enuresis ab acribus urinis, et a nimia vesicae sensibilitate non raro producitur. Interdum autem morbosa partium, vasorumque structura variis humorum alterationibus conjungitur.

§. 958. Quatenus de modo, quo haemorrhagiae contingunt, plerique conveniunt recentiores, sanguinem aut ab arteriis, aut a venis, aut ab utrisque, vel per rupturam, vel per morbosam secretionem exilire. Etenim vasorum erosio observationibus fere nunquam confirmatur. Inquit Bichat Tom. 2. Anat. general. pag. 363., plura hominum perlustrasse cadavera in actu haemorrhagiae defunctorum, nullaque unquam erosionis vasorum comperuisse vestigia. Sprengel autem collocavit fluxnum sanguineorum sedem in vasorum capillarium systemate; et inquit aut per eorum rupturam exilire sanguinem, in quae praeternaturaliter, et quodam impetu irruit, aut per eorum parietes exsudare. Id vero contingere non videtur, nisi cum partes phlogisticis conditionibus teneantur.

§. 959. Plures sunt caussae, quae praeparant ad profluvia ut aetas, sexus, temperamentum, anni tempus et constitutio, quaedam corporis dispositio. Si de haemorrhagiis loquamur, hisce evidenter favet aetas; nam adolescentes epistaxi, juvenes haemoptysi, provectiores fluxui haemorrhoidali sunt di-

spositi: sexus; nam foeminae saepissime metrorrhagiam patiuntur: temperamentum; siquidem plethorici, robusti activis, debiles passivis haemorrhagiis objiciuntur: anni tempus, ut ver, aestas, cum per aëris temperiem, et calorem sanguinis augetur volumen: anni constitutio, unde sanguinei fluxus interdum epidemice regnant: corporis dispositio, saepe haereditaria; per quam in nonnullis hominibus quaevis laesio etsi levissima ingentem sanguinis jacturam, dum in aliis etsi laesio sit majoris momenti exiguam infert. Idem dici potest de aliis profluviis, ut videbimus, dum de istis seorsim agemus. Plurimae autem sunt caussae excitantes, ut vivendi ratio; alimentorum species; abusus vini, et spirituum; medicamenta, quae in aliquam partem actionem exercent specificam; venena; contagia; animi pathemata; immodica corporis exercitia; artes, quae tractantur; vicissitudines, et qualitates aëris; etc. Caussae, quae frequentius haemorrhagias excitant, aut sunt mechanicae, quae lacerant, et vulnerant vasa: aut sunt obstacula, quae liberam circulationem impediunt, ut sunt

viscerum stases; nam ubi sanguis per aliquam partem sine impedimento non fluit, in vasa partium vicinarum irrumpit, quae distenduntur et rumpuntur: aut vitia cordis et vasorum, ut aneurysmata: frigus, quod dum constringit vasorum truncos, sanguis majore impetu irruit in ramos: illa animi pathemata, quae aut circulationem sanguinis nimis sollicitant; aut vehementer agunt in nervorum systema, illamque inaequalem reddunt: denique plethora, abusus vini, et spirituosorum liquorum, praeceps exercitatio corporis, et quae enervant vires, unde debilitata vasa irruenti sanguini facile cedunt.

§. 960. Profluvia symptomatica aliorum morborum vel acutorum, vel chronicorum saepe sistunt symptoma, ut haemorrhagiae, vomitus, alvi exinanitiones, ephidrosis, ptyalismus, epiphora, excreatus materiarum catarrhalium, urinae purulentae, etc. Crebro ejusmodi profluvia a localibus vitiis producuntur, ut sunt glandularum, et viscerum obstructiones, abscessus, scirrhi, ulcera, etc. Ab obstructionibus ex. gr. viscerum abdominalium nascitur saepe haemor-

rhoidalis fluxus admodum debilitans ; urinae purulentae manant ab abscessu et ulcere vesicae urinariae, et urethrae ; metrorrhagiae ab uteri polypo, scirrho, cancro, ulcere, prolapsu. Ut plurimum symptomatica profluvia primarii morbi gravitatem augent, et etiam ad alios morbos, et non raro ad mortem conducunt. Epistaxis in febre quartana, praesertim si diu persistat, et immodica sit, praeter alia mala, interdum inducit hydropem. In eadem febre copiosum sanguinis profluvium ex ano lethale est. Symptomaticus haemorrhoidum cursus praeter quam quod delibitat vires, ad plurima disponit mala. Haemorrhagia nasalis in tabidis persaepe accelerat mortem. Aliquando tamen haec profluvia primarios morbos sublevant, eorumque sollicitam solutionem indicant. In febre quotidiana intermittenti legitima sudores, vomitus, alvi fluxus inter initia morbi, felicem eventum promittunt. In tertiana intermittenti legitima copiosae urinae, et naturalibus similes maturae offerunt solutionis indicium. Profluvia antem dum critica sunt et utilia, contingunt circa morbi finem, il-

humque relevant. Tandem consensualia dignoscuntur, si qua extet morbosa affectio in aliqua dissita parte, aut nervorum irritatio. Tum enim profluvia, non ut alia symptomata, quae illam affectionem comitari solent, sed solum per nervorum consensum excitantur.

§. 961. Ut primariorum fluxuum praevideamus exitum, quae sit quantitas et qualitas abeuntis materiae; quae aetas, temperamentum, sexus aegrotantium; an breves, vel diuturni; salubres vel insalubres sint fluxus discernendum est. Itaque immoderatus sanguinis fluxus est metuendus, utpote sanguis est vitae stimulus, totiusque corporis nutritioni necessarius. Haemorrhagiae pueris, debilibus, senibus saepe lethales; minus foeminis, et robustis hominibus nocuae sunt. Dum vero diu sanguis è vasis erumpit, macies, oedemata, hydropes, et mors consequitur. Ipsa debilitas, quae inde manat, ad aliam sanguinis profusionem disponit. Observandum vero est, quod licet ab haemorrhagiis, maxime diuturnis, scateant innumera mala, tamen ratione consuetudinis

ipsis assuescunt corpora; hinc aliquando per plures annos redeunt haemorrhagiae, quia multum laedatur sanitas; idque praecipue apud foeminas videre contingit. Timenda etiam est chymi et chyli egestio, potissimum in senibus et debilibus, et ubi pertinax est; unde corpori deest nutritionis materies. Salivae profluvium tardam reddit alimentorum digestionem, et non absolutam; ideoque si per longum tempus infestet, nausea, ructus, inappetentia, nutritionis defectus, et macies superveniunt. Ab urinae cursu, qui verum constituit diabetem, reformidanda est consumptio corporis; siquidem cum urinis principia nutrientia diffugiunt. Enim vero chylosum serum immiscetur urinis; quamobrem sitis, ardoris universalis sensus, cutis ariditas, lenta febris, virium destitutio in dies crescens, omnium functionum labefactatio, universa corporis macies consequuntur. Si admodum excedat insensibilis perspiratio et sudor, quia partibus tenuioribus privantur liquida, pervertuntur functiones, circulatio languet, et maxima accedit debi-

litas. A frequenti et assidua liquidarum faecum, humorumque, qui confluunt, aut secernuntur in ventriculo et intestinis ejectione et dejectione constituuntur morbi saepe gravissimi, ut vomitus, diarrhoeae, dysenteriae, cholera, iliaca passio. Si continue effundatur semen, maxime praematura et senili aetate, gravia et saepe lethalia mala prospicere possumus, ut sunt summa corporis, et facultatum intellectualium, imprimis memoriae debilitas; fatuitas; capitis dolor; imminutio visus; lenta febris; tabes dorsalis: quamvis ad haec promovenda non parum obscoena imaginatio, et convulsio, quae praecedit, comitaturque spermatis emissionem contribuat. Et requidem vera foeminae amplexibus venereis, foedissimoque mastrupationis vitio deditae, etsi ipsis negetur semen, iisdem tamen implicantur miseriis. Impensa lactis profusio necessariam corpori nutritionem adimit; ad chronicos pectoris morbos disponit, imprimis graciles nutrices, et ad eos compositas. Per hanc caussam etiam robustae mulieres non raro prehenduntur tussi, pectoris doloribus, respiratione difficili,

aliisque gravioribus pathematibus, nisi apta ratione hisce occurramus. Saepe quoque profluvia mucosa non carent periculo, quia principia nutrientia cum muco deperduntur; ideoque praeter incommoda, quae circumveniunt dum partes expoliantur muco, quo oblini debent, ingens accedit debilitas, et aliquando consumptio, ut post diutinum urinarum mucosarum fluxum usuvenit. Cum autem profluvia sint brevia, quae aut sponte, aut medicamentorum ope cito desinunt, ut plurimum gravia desunt symptomata; sed saepissime ad eorum recursum dispositionem relinquunt. Diuturna vero curatu difficiliora sunt; crebro habitualia fiunt; eaque excipit maxima debilitas, oedemata, hydropes, lenta febris, et mors. Quoniam praeterea modo salubria, modo insalubria sunt profluvia, haec maxime interest ab initio dignoscere. Dicuntur salubria, cum licet nascantur a morbosa caussa, per ea graviores morbi removentur, aut penitus tollnntur; contra insalubria, cum excitant periculosa foenomena, et tam aegri vires elidunt, ut quae supersunt ad subigendum morbum non suffi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ciant. Salubritas autem aut insalubritas profluviorum non est a sola ejectae materiei quantitate deducenda; nam subinde minima quantitas esse potest debilibus exitialis, et maxima robustis et plethoricis utilis; sed etiam ab indagine caussarum, et effectuum; ab aegrotantium aetate, temperamento; et ab anni tempestate. Itaque in adolescentibus, et juvenibus plethoricis, adveniente vere, aut fervente aestate, haemorrhagia narium salutaris est, non solum quia nimiam detrahit sanguinis copiam, sed etiam quia meliorem sanitatem reddit. Sic in hominibus plethoricis circa trigesimum, aut trigesimum quintum aetatis annum; aut in quibus per nimiam crassitiem aegre fertur sanguis per abdominalia viscera, haemorrhoidalis fluxus admodum salutaris est, quippe qui non solum non debilitat, sed ab innumeris vindicat morbis. Imo si consuetae, et salutares haemorrhagiae non contingant, plura mala, et discrimine plena timenda sunt. Inquit Hippocr. Praedict. lib. I. 19. = *Τά τεταγμένοισι χρόνοισιν αἱμορῤῥαγεῦντα, δυψώδεα, δύσκολα, ἐκλυόμενα, μὴ αἱμορ-*

ραγήσαντα, ἐπιληπτικὰ τελεύτᾶ. Sanguinis eruptiones statis temporibus contingentes, siticulosae, difficiles ac exsolventes, si sanguinem non effuderint, in comitialem morbum finiunt. = Sic frequenter vomitus, diarrhoeae, sudores, etc. salutares sunt; siquidem per hos fluxus impurae expelluntur materiae, quae si manerent in corpore, plurimae quidem, gravesque suscitarentur aegritudines. Hujusmodi salutaria profluvia naturae sunt committenda; quin saepe adjuvanda, et proritanda; nunquam vero sistenda. Ex adverso illa intempesta et insalubria, quae vires diruunt, et alea plena, et exitialia sunt, comprimere necesse est. Sed interdum nec cohiberi possunt, nec nobis semper est eorum diripere caussam; unde perniciosi, qui inde manant, affectus nullo modo possunt evitari.

§. 962. Dum symptomatica sunt profluvia, eorum praesagium ab ipso primario morbo; ab examine qualitatis et quantitatis profusae materiae; a statu virium, et aegri temperie deducitur. Quoniam vero haec profluvia, ut supra observare non praetermisi-

mus, modo gravant, modo sublevant primarios morbos; hinc saepe ab hisce fluxibus symptomaticis eorum eventum ominamur. Epistaxis sub variolarum eruptione ut plurimum allevat morbum; rursus haemorrhagiae in febribus mali moris, eas aggravant, et sistunt laethale signum. Sic plerumque ominosae sunt in scorbuto, lue venerea, phthisi. Sudores universales, calidi, modici, ante et post morbillorum eruptionem, ad fausta pertinent morbi signa; sed in ipso morbo ad infausta involuntarius lacrymarum fluxus. Profluvia symptomatica nimis profusa, semper periculosa sunt; dum modica esse possunt utilia. Inquit Hippocr. Coac. praenot. lib. VI. sect. 2. = *δυσεντερίη σπληνώδεσι μὴ μακρὴ χρήσιμον, μακρὴ δὲ πονηρόν.* Dysenteria lienosis non longa utilis, longa autem prava. = Periculo plena est in abscessibus exuberans puris jactura; nam una cum pure decurrunt nutritionis principia; unde exhauriuntur vires, consequiturque macies.

§. 963. Si profluvia critica sint, utilia judicabimus, si contingant ubi appareant

coctionis signa; si nec nimis parca, nec nimis profusa sint; si morbi symptomatum afferant levamen. Hisce conditionibus criticae et bonae sunt haemorrhagiae, sudores, urinae, alvi dejectiones, ptyalismus in variis febribus, inflammationibus, exanthematibus, aliisque morbis, qui per hos fluxus saepe feliciter judicantur. Si itaque in acuto morbo aliquot sanguinis guttulae stillent è naribus, non solum non resolvunt, sed quia sanguinis impetus ad cerebrum adaugetur, illum pejorem reddunt. Contra si sine impedimento, et satis fluat sanguis, aut levatur, aut omnino resolvitur morbus, ut non raro in febre ardente contingit. Quapropter critica et utilia profluvia nunquam sunt reprimenda; secus et exacerbatio morbi, et reformidanda mala solent exoriri. Dum vero illa non sunt modica, sed uberrima, quae vires jam morbo dejectas conficiunt, et in maximum conjiciunt discrimen; modus erit imponendus, sed non sine magno consilio.

§. 964. Ad primaria profluvia curanda, eorum caussas, et effectus modo bonos, modo malos sedulo inquirere est. Si enim sint

salutaria adjuvanda; si nocua, cohibenda. Hoc in casu canssas explorare debemus, ut apta eligamus auxilia. Si ex. gr. contingant haemorrhagiae in hominibus robustis, juvenibus, aliqua sanguinis consueta exinanitione orbatis, opipare nutritis, vino et liquoribus spirituosis abutentibus, laboribus et corporis exercitationibus deditis, evidens est, quod stimulorum copiam, solidorumque actionem imminuere necesse est; idque sanguinis missionibus, tenui victu, stimulantium fuga, spiritus et corporis quiete; diluentibus et refrigerantibus obtinetur. Si homines temperamento plethorico-bilioso donati, aestivo tempore, cum bilis magis exstimulans evadit, non fugaci corripiantur diarrhoea, quae prosternat vires; conveniunt purgantia lenia, subacida, quae bilem purgant et corrigunt, ac intestinorum irritabilitatem auctamque actionem reprimunt. Si in caussa sit universalis, vel partialis debilitas, roborans expedit curandi ratio. Dum temperamenta sunt debilia, et profluvia vel ab aliquo praegresso morbo, vel ab infortuniis, vel ab animi pathematibus, vel a

pravis alimentis, vel ab aëre insalubri nascantur, apto diaetetico regimine, roborantibus et adstringentibus, animi quiete, modica corporis exercitatione, aërisque mutatione curari debent. Itaque si proficiscantur haemorrhagiae a sanguinis tenuitate, quae semper debilitati solidorum componitur; victus nutriens, tonica et adstringentia, salubrior aër maxime juvant. Si vero humorum vitia, vel ab aliquo antecesso morbo, vel a retropulsa materie morbosa, quae aliquam partem, vel externam corporis superficiem obsederat, profecta sint; praeter appositam diaetam, quae bonam humoribus indolem restituant; per diversa emunctoria resorptas materias expellant, et ad pristinam sedem reducant, emolumento sunt. In omnibus igitur casibus, quoad fieri potest, amovendae sunt caussae; secus aut parum aut nihil opem ferunt medicamina. Denique profluvia symptomatica eandem ac primarii morbi curationem expostulant. Vomitus et diarrhoeae febrium gastricarum et verminosarum, purgantibus, emeticis, anthelminthicis; haemorrhagiae a scorbuto productae, acidis mine-

ralibus, aliisque remediis antiscorbuticis; fluxus haemorrhoidalis ab obstructione viscerum abdominalium ortus, deobstruentibus curatur. Praemissis quae ad generalia spetant, proponendus est ordo, quem de profluviis acturi tenebimus. In quatuor ordines horum morborum classem distribuimus, quorum primus fluxus sanguineos; secundus serosos; tertius mucosos; quartus illos alvi comprehendit. In quovis autem ordine genera, et in generibus species continentur.

Digitized by Google

ORDO PRIMUS

Profluvia sanguinea

GENUS PRIMUM

Epistaxis.

§. 965. Profusio sanguinis ab internis narium vasis dicitur epistaxis. Ejusmodi vox nascitur ab ἐπιστάξω, quod ab ἐπὶ supra, et στάξω stillo componitur. Hippocrates in Epidem., aliique veteres dum haemorrhagiam absque indicatione partis, unde exilit sanguis, nominant, illam narium intelligunt. Ita alii posterioris memoriae, ut Sauvages, Linnaeus, Sagar. Sed quidam hanc sanguinis profusionem haemorrhagiam narium; alii haemorrhiniam appellant. Epistaxis est hominibus familiaris, utpote vasis sanguiferis tenuissimis interna narium superficies obsita. Ut plurimum ex una, interdum ex utraque nare delabitur sanguis, modo guttatim, mo-

do instar rivuli, modo per posteriores aditus transilit ad fauces et per os diffunditur. Sanguinis quantitas nunc exigua est, nunc tam profusa, ut plures libras aequet; et interdum nisi coerceretur totus abiret. Quoad colorem modo venosi, modo arteriosi similis est.

§. 966. Epistaxis, praeter traumaticam ab externis violentiis ortam, in primariam, symptomaticam, et criticam dividitur. Primaria producitur a caussis, quae vel augent circulationis impetum; vel versus caput accelerant motum; vel contra languidiorem circulationem reddunt. Idcirco ut caeterae haemorrhagiae, aut activa, aut passiva est. Interdum est periodica, si ab internis caussis orsa, certis periodis recurrit; et ut plurimum salutaris est, quia nimium detrahit sanguinis copiam, aut defectui alicujus sanguineae evacuationis supplet. Symptomatica est morborum vel acutorum vel chronicorum symptoma. Critica sub finem morborum acutorum evenit, eosque saepe resolvit, ut sunt phrenitis, pleuritis, hepatitis, splenitis, plures inflammatoriae febres, apoplexia. Ad hanc

aliquo modo pertinet, quae dissipat chronicos morbos, ut vertigines, capitis dolores, diuturnam gravedinem; nam ut salutare naturae conamen est judicanda.

§. 967. Activam epistaxin nullum interdum praecedit symptoma; sed persaepe non desunt prodroma signa, ut capiplenium, cephalalgia, vertigo, in somnum propensio, facies turgidula rubra, oculi aliquantisper inflammati, vehementior carotidum et temporalium pulsatio, narium pruritus, aurium tinnitus. Subinde symptomata febrilia praecurrunt, ut frigus, calor, sitis, nausea, frequentia pulsus. Mox sanguis exit saepe purpureus et ad coagulationem dispositus; ac ubi ejus quantitas praeparca non sit, enavescunt symptomata, quae praegrediuntur, aut comitantur epistaxin. Cum vero haec passiva sit, oppositis stipatur symptomatibus, quae virium infirmitatem demonstrant, ut pulsus frequentes, debiles, exiles, faciei pallor, functionum languor. Major vel minor est jactura sanguinis, cujus cursus saepe remediis etiam validioribus sisti non potest; unde pulsus debiliores, lipothymiae, alia-

que ingentis debilitatis foenomena superveniunt.

§. 968. Caussae sunt praedisponentes activae epistaxis plethorica temperies, juvenilis aetas, haereditaria dispositio, anni tempus. Ea enim vere, et ineunte aestate, in junioribus utriusque sexus evenit, licet rarius in foeminis, imprimis post menstruationis initium. Caussae vero excitantes sunt insolatio, incongrua corporis positio, actio ignis ad faciem, assidua studia, cursus praepes, caput obvolutum et excalefactum dum caeterae partes minus calori exponuntur, abundans nutrimen, in liquoribus spirituosis hauriendis licentia, acrior ira, aliqua sanguinis consueta exinanitio cohibita, etc. Hisce oppositis sunt caussae passivae epistaxis, ut debile temperamentum, senilis aetas, frigus, animi pathemata deprimentia, defectus et prava alimentorum qualitas, humidus et impurus aër, et quidquid corpori vigorem aufert.

§. 969. Prognosis epistaxis habetur, si ejus species, caussae, effectus, quantitas dejecti sanguinis, et aegrotantium aetas con-

sideretur. Epistaxis activa saepe sponte cessat, et salutaris est. Si profusio sanguinis aegri plethorae congruat, placantur et evanescunt symptomata; quin succedit vigor, agilitas corporis, animique hilaritas. Ejusmodi epistaxis est adolescentibus familiaris; sed si eorum corpora gracilescunt, et praecox incrementum trahunt, adveniente juvenili aetate, non raro haemoptysi laborant. Ubi vero activa epistaxis sit nimis effusa et frequens, afferre potest discrimen; sed rarius in juvenibus et robustis, saepius natu majoribus. Virili igitur aetate timenda est, non solum quia vires prosternit, sed etiam quia dispositionem ad aliquem chronicum morbum, aut aliquam morbosam affectionem in abdominis visceribus, aut vasorum cerebri superfluam plenitudinem indicat. Crebro in senibus est praecedens signum apoplexiae et paralysis. Alea autem plena est passiva epistaxis in debilibus et aetate provectis, maxime uberrima et frequens. Jactura enim sanguinis augetur ipsa caussa morbi, et eo magis cordi et vasis deficit stimulus, unde lipothymiae, extremitatum frigus, functionum

languor, gravesque morbi, ut hydrops, tabes, lenta febris consequuntur. Symptomaticae autem epistaxis prognosis imprimis trahitur ab ipso primario morbo; sed ut plurimum nocua est, et periculi plena, quae frangit vires, et quae hisce jam accisis contingat. Saepe enim aut vitam adimit, aut gravia inducit mala, ut sunt hydrops, consumptio, amaurosis, etc. Semper mala est in quibusdam morbis, ut sunt febres nervosae, quartanae, hydrops, phthisis, scorbutus. Dum vero primarii morbi sunt inflammatoriae indolis, dummodo non sit stillatitia, nec continuo sistat, utilis est, utpote nimiam detrahit sanguinis copiam, et morbi vehementiam comprimit, symptomata imminuit, praesertim capitis, aliarumque partium dolores. Tandem epistaxis critica, quae cum levamine post acuti morbi statum accidit, morbum ipsum resolvit, si satis larga sit. Dum enim praeparca sit et stillatitia, non est nisi irritum naturae conamen. Ut autem distinguatur quae vere critica sit, ne perturbetur, observanda sunt signa, quae eam solent praenuntiare, prius ab Hippo-

crate in Coac. praenot. aliisque libris; deinde a Galeno, et veteribus adnotata, ut dolor et tensio cervicis; temporum gravitas; tenebricosa caligo; praecordiorum tensio sine dolore et inflammatione; involuntariae lacrymae; capitis dolor, concussiones; faciei rubor; narium pruritus; oculi rubri; anxietas cum vigilia; aurium bombi; surditas. Praeterea hanc haemorrhagiam saepe portendit pulsus undosus, et ille dicrotus vocatus, cum scilicet arteria bis ferit in diastole explorantis digitum. Plures acuti morbi per epistaxin judicantur, ut febris ardens, phrenitis, mania, peripneumonia, inflammationes hepatis et lienis, etc. Galenus asserit, sanguinem fluere è dextra nare, si hepar, è sinistra, si lien afficiatur; quod vero perpetuum non est, ut ab Epidem. Hippocr. deprehenditur. Etiam plures chronici morbi per hanc resolvuntur, ut cephalalgiae, vertigines, diuturna gravedo. Sic enim vasa cerebri nimis repleta exonerantur sanguine.

§. 970. Pro curatione epistaxis, quae ejus species et caussae, an salubris vel insalubris sit discernere oportet. Rarius acti-

va epistaxis parit damnum ; imo phlogisticam diathesin, et plures morbos removet, qui secus in adolescentibus plethoricis, et robustis hominibus, et large enutritis supervenirent ; et saepe sponte sanatur. Interdum vero locum habet venae sectio ; cum scilicet ab hac haemorrhagia non satis imminuta sit sanguinis copia, et pulsus duri maneant. Sed si hac sublata, persistat epistaxis, locetur aeger ubi aër subfrigidus ambiat ; amoveantur stimulantes caussae ; victus sit tenuis ; potiones refrigerantes ; clysteribus aperiatur alvus ; positio corporis sit fere erecta, et caput retrorsum aliquantisper inclinatum ; quies animi et corporis servetur. Si haec non sufficiant, adhibeantur adstringentia localia, ut ablutiones super frontem ex frigida cum aceto, quae etiam per nares attrahi potest ; lintea carpta aqua vulneraria, vel solutione aluminis, aut vitrioli albi ; ut et turundae solutione sulphatis ferri in alcohole madidae, vel prius in ovi albumine immersae, et deinde alumine ac sanguine draconis aspersae, et in nares immissae. Quoniam pulvis carbonum, qui de ligno co-

quuntur, judicatur adstringens, prius aqua madefieri possunt turundae, mox in illo pervolvi, et in nares induci; aut per eas hic pulvis trahi potest, nicotianae adinstar. Turundae non solum per stiptica, quibus imbuuntur, sed etiam per compressionem super vasa narium utiles sunt. Si etiam haec satis non sint, alia fieri solent, scilicet frigida in vultum aspergitur; ponitur super partes genitales viriles contusa glacies, vel nix; applicantur cucurbitulae regioni hepatis; occipiti; vesicans nuchae. Eodem tempore levia purgantia porriguntur, ut sanguinis affluxus deflectatur a capite. Si hisce adhibitis, pergat sanguis per posteriores narium aditus exilire, auxilia chirurgica, et interna adstringentia in usum vocanda sunt, ut aethiops vegetabilis, sulphas zinci, alumen, potiones ex aqua et acido vitriolico, etc. Etiam tonica et roborantia expediunt, si summa virium superveniat debilitas. Haemorrhagia autem coercita, non statim abstrahantur turundae; et coactus et adhaerens sanguis relinquatur, ut refigatur sponte. Insuper ad recidivam vitandam, nares

non irritentur ; fugiantur caussae omnes ; apposita diaetae praecepta diligenter observentur. Si activa epistaxis praepostere fuerit cohibita , prompte revocetur ; idque fit vaporibus aquae calidae per nares adductis ; nasi contrectatione ; et narium foraminibus hirudinum applicatione. Si autem epistaxis passiva sit , adstringentia , et roborantia praestant. Itaque immittatur in nares pulvis ex alumine et agarico ; lintea carpta spiritu vini camphorato , aut spiritu vitrioli diluto madida ; turundae , quibus adstringentia adhaereant. Frictiones etiam super frontem , collum , dorsum ex spiritu vini simplici, aut camphorato maxime juvant. Fieri quoque possunt ad extremitates inferiores frictiones , et pediluvia. Si hisce non fraenetur profusio sanguinis , interna adstringentia locum habent ; et tonica , ubi ingens adsit debilitas , ut cortex peruvianus , martialia ; et aptum diaetae regimen , ut purus aër , victus nutriens , modicus vini usus , conveniens corporis exercitatio , animi quies. Hac haemorrhagia compressa , debilitatis caussae solerter devitentur. Epistaxis symptomatica iisdem

remediis ac primarius morbus curatur. Subinde vero hisce non coercetur; aut coercita, sanguis per alias partes erumpit, ut pulmones, renes, uterum; idque saepe evenit in febribus nervosis, variolis malignis, scorbuto. Denique si critica sit, linquenda; tamen si nimis profusa, utpote periculosa, compescenda; sed hoc considerate fiat.

GENUS SECUNDUM

Haemoptysis

§. 971. Sanguis sputo ejectus, è pulmonibus proveniens, dicitur haemoptysis. Hoc nomen ab αἷμα sanguis, et πτύσις sputatio compositum, quodvis indicat sanguinis sputum a gingivis, faucibusque exilientis; sed a plerisque ad sanguinis ejectionem è pulmonibus significandam usurpatur. Hic morbus vocabatur a Boerhaave haemoptoe; ab Hoffmann fluxus sanguinis ex pulmonibus; a P. Franch pneumonorrhagia, qui sanguinis fluxum a vasis oris stomatorrha-

giam appellavit, hujusque constituit genus; quamvis ut plurimum est aliorum morborum symptoma, ut scorbuti, ulcerum, venarum varicosarum, cariei dentium. Nonnulli autem; ut modo laudatus Franch, varia secundum sedem haemoptysi indiderunt nomina, ut laryngorrhagiae, tracheorrhagiae, pneumorrhagiae, sed absque fructu mihi videtur; nam nec facile distingui potest an sanguis è vasis laryngis, tracheae, pulmonum scateat; idque ad morbi curationem parum interest. Solum magni ponderis est cognoscere, cum sanguis ab aliis partibus stillet, dum ab illis spiritalibus manare videtur. Hoc assequimur, si quaedam animadvertantur signa. Etenim si sanguis ex gingivis, lingua, palato, faucibusque proveniat, deest tussis, et si qua sit, non secum ut in haemoptysi sanguinem vehit: si sanguis è ventriculo et oesophago per os ejiciatur, unde constituitur haematemesis, est niger, etiam deest tussis, et alia signa, quae de morbosa pulmonum affectione testantur: sed si sanguis proficiscatur a pulmonibus, est floridus et spumosus, licet interdum niger

et concretus, dum scilicet in pulmonum vesiculis plus minusve immoratur; adest tussis, et quidam in pectore strepitus.

§. 972. Haemoptysis in primariam, symptomaticam, secundariam, et traumaticam dividitur. Primaria quia vel ab auctis, vel ab imminutis vitae viribus ortum habet, ut reliquae haemorrhagiae, vel activa vel passiva dicitur. Praeterea si persaepe redeat, ut in illis praecipue evenit, qui vel haereditariam vel acquisitam dispositionem habent, habitualis nuncupatur; periodica, si certis temporibus recursat, et alicujus deficientis sanguineae evacuationis vices gerit, ut epistaxis, menstruorum, haemorrhoidum; accidentalis, si a caussa fortuita, absque ulla praedispositione nascatur, ut ab erroribus gymnasticae, vel diaetae. Symptomatica est symptoma aliorum morborum vel acutorum, vel chronicorum, vel universalium, vel localium, ut sunt febres varii generis, variolae confluentes, phthisis pulmonaris, scorbutus, aneurysmata, viscerum abdominalium obstructiones, etc. Secundaria nascitur aut ab aliquo praegresso morbo; aut a retroces-

su exanthematum, vel impetiginum; aut ab exsiccatione ulcerum; etc. Traumatica ab externis violentiis, ut vulnere, contusione, lapsu.

§. 973. Quandoque haemoptysin nullum praegreditur signum, et post aliquem aggressum tussis, sputum sanguinis comparet. Saepius vero non deficiunt antecedentia signa, quibus communiora sunt quaedam oppressio, et strictura pectoris, unde respiratio difficilis, anxia, frequens; quaedam lassitudo, et inertia; inferiorum extremitatum refrigeratio; dolor fixus aut errans ad pectus, dorsum, scapulas; nausea, flatus, alvi durities; pulsus durus, plenus, vibrans, irregularis; cordis palpitatio frequens, a motu corporis et ab assumpto alimento facile aucta; noctes inquietae; tussis a sensu vellicationis et stimuli in trachea excitata. Ejusmodi symptomata per aliquot dies affligere possunt; sed proximam sanguinis ejectionem praenunciant sapor dulcis, aut salsus in ore; pruritus aut caloris sensus in pectore; fistulae spiritalis irritatio, ex qua excitatur tussis vehemens, et ab hac floridi et spumo-

si sanguinis cum murmure sputum. Tum pulsus fiunt frequentes, interdum febriles; saepe rubescunt genae; sed pro variis casibus, variisque aegrotantibus differunt foenomena. Oportet autem symptomata morbi a terroris effectibus distinguere, quem utplurimum sanguinis sputum incutit, ut sunt animi deliquia, convulsivi motus, frigoris sensus. Nos autem erupturi sanguinis copiam praevidere non possumus. Modo exigua est, et cito quiescit morbus, nec amplius apparet; modo largus est sanguinis cursus, qui aut sine ordine, aut determitatis temporibus revertitur. Raro tam affluenter ejicitur sanguis, ut per ingentem jacturam, aut soffocationem mors subsequatur.

§. 974. Ex omnibus haemorrhagiis, quae praeter naturae ordinem contingunt, vix ulla haemopsysi frequentior est ob spongiosam et laxam pulmonum fabricam; innumera vasa sanguifera tenuis structurae, quae per illos minimis divisionibus distribuuntur; multiplices caussas, quibus objiciuntur pulmones; consensum, quem habent cum cerebro, visceribusque abdominis. Dum est primaria et

activa nascitur a statu corporis plethorico, et vasorum pulmonarium aucto incitamento. Frequentior est tempore verno, et huic magis dispositi sunt adolescentes, homines robusti et plethorici, qui epistaxi laborabant, aut aliqua sanguinis consueta evacuatione orbantur; mulieres, quibus praeparca, aut omnino deficientia sunt menstrua. In hisce enim facile contingit haemoptysis, si qua caussa accedat, praecipue in pulmones actionem exercens, ut longa declamatio, cantus, inflatio instrumentorum, violenta corporis exercitatio, ut cursus velox, elevatio ponderum, vehemens ira, et omnia, quae augent plethoram, aut majori copia sanguinem ad pulmones impellunt, aut circulationem sanguinis nimis commovent, ut impetuosa venus. P. Franch vol. 6. de profl. pag. 178. ita paucis robustae et plethoricae mulieris casum narrat. = Foeminae nobis exemplum oblatum est, quae licet corpore firmo ac bene nutrito donata, quoties tamen veneri aestivis sub caloribus paulo ardentius inservit, toties cruorem illico e pulmonibus eructat. = Caussa autem passivae

haemoptysis est universalis debilitas, imprimis pulmonis, ejusque vasorum. Huic magis proni sunt debiles, quorum parentes eodem morbo vexabantur; qui prava corporis et pectoris formatione, saepe haereditaria, instruuntur, ut est corpus procerum, collum longum, gracile, humeri alarum instar prominentes, brachia nimium longa, pectoris angustia, gibbositas, depressio, unde comprimuntur pulmones, et majora vasa aneurysmatica, vel varicosa fiunt. Praeterea ad hanc haemorrhagiam laxa corporis compages, praesertim pulmonum, maximopere disponit. Saepenumero etiam in illis qui ita sunt compositi, facile vultus suffunditur rubore; in candidis genis floridus et circumscriptus rubor observatur; dentes eburnei, et saepe longiusculi sunt. Est caussa occasionalis hujusce haemorrhagiae quodvis debilitatem corporis, potissimum pulmonum, eorumque vasorum auget; copiosorem sanguinem ad vasa arteriosa impellit, quae nullo negotio dilatantur et rumpuntur; ut exercitatio debiles corporis vires excedens; situs pulmones angustans, ut longa incurvatio; abusus vene-

ris, et mastrupatio; animi deprimentes affectns; prava alimenta; etc. Jam diximus, ab aliis morbis nasci haemoptysin symptomaticam, et secundariam, quae interdum ab alicujus materiae morbosae metastasi ad pulmones producitur, et dici etiam potest metastatica. Plus semel post improvisam bubonum venereorum resolutionem haemoptysin subsequi vidimus.

§. 675. Semper haemoptysis est praeceps morbus, licet non tanta sit ejecti sanguinis vis; unde Hippocr. aph. 25. sect. IV. inquit = Sanguis sursum quidem, qualiscumque fuerit malus. = Tamen, quia non raro obtinetur perfecta sanitas, ad bene ominandum haemoptysis species, caussae, symptomata concomitantia et subsequentia spectanda sunt. Primaria et activa generatim passiva minus timenda est. Ad illam pertinet quae corripit tamperamenta robusta et plethorica; quae est periodica, et defectum implet alicujus sanguinis fluxus, ut menstruorum, haemorrhoidum, et saepe absque sanitatis laesione evenit, ut experientia comprobatur; quae dicitur accidentalis, et in hanc per

violentum excercitium; abusum vini, aut liquorum spirituosorum; etc. robusti homines incidunt. Haec vero, nisi belle et mature curetur, licet modica, ob funestas sequelas in periculum mittit. Passiva vero periculosior est, in hominibus male compositis, et ad phthisin pulmonarem jure haereditario paratis. Cum haemoptysis habitualis fit, ducit ad infaustum finem. Debilitantur enim vires; tussis est assidua, molesta; et paullatim succedunt puris sputum, tabes, febris lenta, et mors. Si haemoptysis sit symptomatica, et secundaria a natura primarii, et praegressi morbi, et ab aegrotantium constitutione eventum praevidebimus. Tandem si sit traumatica esse potest plus vel minus gravis. Si ab externo et penetranti vulnere oriatur, unde multus sanguis et ab ore, et ab ipso vulnere cum strepenti aëre emittatur; deprimantur pulsus; accedant animi deliquia; lethalis est. Si vero vulnus non tam in pulmones penetraverit, nec majora vasa arteriosa aut venosa sauciata; et praeparcus sit cruoris effluxus, licet pulmones pertusi, sperandum est. Ast si assurgant in-

flammatoria symptomata, et vere pleuritica, ut acuta febris, tussis, difficilis respiratio, punctorius dolor cum sputo sanguineo, timendum est. Si in caussa sint extranea corpora in bronchia illapsa, concitatur vehementissima tussis, pectoris dolor, et ejectio cruenta persistit, donec illa corpora bronchiis haereant; quamobrem fieri potest, quod morbus phthisi et morte terminetur. Si autem subigatur traumatica haemoptysis, non est ut illa ab internis caussis orsa adeo ad recidivam proclivis. Quoad caussas, reformidandum est sputum sanguinis ex pulmonibus in illis, qui ad phthisin sunt dispositi; prava corporis et pectoris structura donantur; morbos pectoris perpessi, et adhuc patiuntur; vitiis cordis vasorumque laborant; ut etiam in juvenibus, qui teneriori aetate epistaxi subjacebant. In his enim haemoptysis facile redit; et dum fit habitualis in phthisin abit. Contra minus portendit discriminis in hominibus robustis, bene compositis, morbis non obnoxiis. Si a profundiori loco, et a ruptura magni vasis ejectio sanguinis proveniat, est multo magis periculosa,

ac illa, quae a superiori loco, et a rupto exiguo vase proficiscitur. Tamen etiam laesio vasorum superiorum interdum gravis est, proindeque subsequi potest exulceratio, phthisis, quae dicitur trachealis, imprimis si ad hanc adest opportunitas. Aliquando caussae sunt leves, ut plethora; violenta corporis exercitatio; aër nimis rarus, levis, aut acribus vaporibus foetus; aliquando graviores nec facile auferendae. Calculi, qui generantur in pulmonibus, praesertim scabri, angulosi, tussim siccam, molestam, dolorosam excitant, postea sanguinis sputum, quod ad phthisin conducit, si cum tussi illi non expellantur. Feliciter hominem sanatum vidi, qui plures ex ore ejecit calculos, qui frequentis erant haemopthysis caussa. Hujusmodi calculosae concretiones in illis frequentius observantur, qui asthmate et tussi laborant. Si autem haemoptysis veniat ab aliis morbis, an hi sint leves vel graves, sanabiles vel insanabiles, videre est. Maxime igitur periculosa judicatur, si ab exulceratis pulmonum tuberculis, a rupta vomica, a vitiis cordis et vasorum, a scorbuto, rachitide, scrophulis,

hydrothorace, ascite, herpetibus repercussis nascatur, utpote morborum fere semper insanabilium symptoma. Post ruptas pulmonum vomicas diffunditur pus et sanguis, et ob difficilem expectorationem saepe sequitur suffocatio. Ascitici paullo ante mortem nonnunquam expuunt sanguinem; quod etiam in phthisicis evenit. Tandem quoad symptomata concomitantia, et subsequentia; majus erit discrimen, si magna sit ejecti sanguinis quantitas, minus, si parcior. Tamen etsi nimia sit quantitas, interdum matura et apta curatione obtineri potest sanatio. Ast ubi sit copiosissima, urget praefocationis periculum; aut maxime prosternuntur vires, praecipue in homine jam debili; et exulcerationes pulmonum, macies, et mors sequuntur. Praeterea copiosa haemoptysis est etiam ad recidivam propensa; et ubi prava sit pectoris constructio, et ad phthisin adsit dispositio, est maxime pertimescenda; ut et ubi veniat ex profundo pectore cum strepitu, extremitatum frigore, lipothymiis, convulsionibus. Si cruor sputo ejectus sit niger, densus, saepe pessimum offert indicium, utpote

a vasis aneurysmaticis vel varicosis, aut ex aliqua parte pulmonum sphacelo affecta proveniens; quamvis interdum talis est, quia in pulmonum vesiculis aliquantum remanet. Si haemopthysis saepe redeat, et continua fiat, si tussis vehemens, dolor et angustia pectoris persistant, et adsit difficultas decumbendi in alterutro latere, calor post assumptum alimentum, lenta febris, in maximo periculo versantur aegri. Post haemoptysin respiratio et circulatio sanguinis multam quoad praesagium afferunt lucem. Si enim functiones vitae in statum naturalem redeant, sperandum; contra timendum est.

§. 976. Curatio haemoptysis talis sit, ut sanguinis sputum reprimat, ejusque terrificas arceat sequelas. Ut assequamur finem, ad speciem et caussas morbi intentum animum adjungere debemus. Hoc est unicum praeceptum experientia sancitum, et a quavis praespostera medendi ratione alienum. Itaque si haemoptysis primaria sit et activa, requiritur methodus antiphlogistica, secundum varios casus plus vel minus extensa. Interdum est tam levis, ut etiam sponte de-

sinat ; sed ut plurimum etsi levis, aliqua convenit sanguinis missio, ut et potiones frigidae, victus tenuissimus, animi et corporis quies, silentium, erecta capitis et pectoris positio, subfrigidus respirabilis aër. Si vero uberior sit ejecti sanguinis quantitas; aut phlogistica adsunt symptomata, ut pulsus pleni duri, calor, sitis, febrilis motus, oppressio pectoris et alvi durities; pluries vena secanda est, et adhibendae potiones frigidae, dummodo non adsint pulmonum inflammationis signa; victus tenuissimus, clysteres, et reliqua supra exposita. Si hisce adhibitis, persistat etiam frequentia et durities pulsuum, digitalis purpurea utilis est. Eadem expedit methodus in haemoptysin, quae in hominibus robustis, juvenibus, aliquo consueto sanguinis fluxu destitutis; et in illis qui vino et spiritibus abutuntur; aut qui sese nimis exercuerunt; aut elevarunt et gestarunt grandia pondera contingit. Parvi momenti est disquisitio, an magis juvet prius a superioribus, vel ab inferioribus extremitatibus sanguinem mittere; nam praecipue interest hujus quantitatem subtrahere. Tamen

si qua instituatur sanguinis missio ab extremitatibus inferioribus, ut animadvertit Burserius, prodest, quippe quae nimium sanguinis appulsum ad pulmones imminuit. Praeterea illa è pede est interdum imprimis necessaria, aut vasis haemorrhoidalibus, aut partibus verendis hirudinum applicatio, ut si morbus a praepedito haemorrhoidum, vel menstruorum fluxu nascatur. Hac ratione, sublata sanguinis copia, et coercita haemoptysi, victus gradatim augendus est, qui prius alimentis satis nutrientibus, et concoctu facilibus continetur, ut sunt farinacea, juscula, ova sorbilia, lac; deinde concedantur carnes, et modicum vinum. In hac curanda haemoptysis specie nunquam conveniunt calefacentia et stimulantia; tamen si tussis valde molesta sit, et novam sanguinis ejectionem producere valeat, opium ejusque composita prudenter sunt adhibenda. Ut autem impediatur recidiva, fugiantur caussae omnes; appositae regulae diaeteticae observentur; per longum tempus lactis usus non linquatur. Si vero lac digeri non possit, decoctiones carnis vitulinae, ranarum, can-

crorum fluviatilium, hordei germanici praescribantur. Denique venae sectio in ratione aetatis, virium, anni temporis identidem celebretur. Si haemoptysis passiva sit, sanguinis missio non est remedium naturae morbi conveniens; tamen expedit, ubi summa non sit debilitas, sed considerate instituta. Opportuniora auxilia sunt potiones frigidae, adstringentia, quae vasa pulmonum exonerant, ut pediluvia, ligaturae ad artus, cucurbitulae, vesicantia, purgantia levia, clysteres; ut ubi conjiciuntur humorum vitia, mucilaginosa, farinacea, gummosa, edulcorantia, imprimis lac asininum. Usus aquae frigidae, nivatae, glaciei admodum utilis est; tamen non desunt, qui reformidant et damnant. Burserius vero prius aquam naturaliter frigidam, post frigidissimam et nivatam suadet, donec sputum sanguinis cesset. Inquit enim Inst. med. pract. tom. 7. §. XXXIX. = Ab aqua simplici naturaliter frigida inchoandum est, deinde ad frigidissimam et nivatam transeundum. Nonnulli quovis horae quadrante scyphum hauriendum jubent. Ego singulis semihoris octo, vel decem uncias prae-

bere soleo, excluso quocunque alio alimento, continuarique hujusmodi potum suadeo die noctuque ad aliquot dies, interdum ad hebdomadam, aut certe donec sanguinis sputum cessaverit. = Haec vero methodus, licet prudens, non semper adamussim peragi potest; nam dum haemoptysis sit profusa, statim adhibenda est aqua frigidissima et glacies, quae etiam externis partibus admovetur. Etiam an expediant adstringentia agitatur quaestio; sed de eorum utilitate, dummodo prudenter usurpentur, plerique conveniunt: scilicet nec nimis sollicite administrentur; nec a fortioribus, sed a minoribus inchoandum, et postea ad validiora paullatim transeundum. Ejusmodi remedia plurima sunt et a veteribus et a recentioribus laudata, ut succus urticae, portulacae, plantaginis, tormentillae, consolidae; conserva rosarum; potiones ex aqua frigida cum acido sulphurico; aethiops vegetabilis; fungus melitensis; terra catechu; coralia rubra; electuarium Haelidaei Paduani; aqua vulneraria Landii; specificum Helvetii; radix ratanhiae; etc. Insuper inter tonica et

adstringentia summopere cortex peruvianus praedicabatur, prius a Mortono, deinde ab aliis, per quem ut specificum in haemoptysin electuarium Fulleri habitum fuit. Etiam alia proponuntur remedia. Thomas Dickson non solum in haemoptysin, sed etiam interdum in alias haemorrhagias laudavit nitrum, quod damnavit Burserius, qui op. cit. §. XXXVIII. inquit = Pace vero auctoris, nitro saepe tussim excitari vidi, qua nihil nocentius in haemoptoe. Imo interdum post diuturnum, largumque ejus usum acritate sua, quae viribus vitae non subigitur, haemoptysim ipsam induxisse visum est. = Sed varie sensit Joseph Franch, qui inquit, nullam irritationem esse timendam, si modica nitratis potassae dosis in aliquo vehiculo exhibeatur; et animadvertit, hujusce remedii usum plus esse antiquum, quam creditur, quamvis Dickson tribuitur. In re vero dubia mihi satius videtur tutiora eligere remedia, et linquere nitrum, cujus efficacia non fuit experientia confirmata. Alii commendant balsamica; sed haec raro conferunt, utpote nimis exstimulantia, praese-

tim acriora. Alii emetica; sed haec omnino fugienda, siquidem inter caussas sunt vasorum pulmonalium rupturae. Alii post Mertensii observationes inter scapulas amplum vesicans admovere jubent, dum aqua frigida tam interius, quam exterius adhibita non profecerit; cujus vero remedii praestantiam experientia Burserii non comprobavit. Vesicantia emolumento sunt, si remaneat molesta tussis; et eodem tempore continuandus est lactis usus; et ad illam sedandam opium, ejusque composita dari possunt. Quoniam saepe post sanguinis sputum restitant grumi, ad hos resolvendos, et pulmonum texturam confirmandam, diluta aquosa non valde calentia Burserius adhibet, ut scabiosae, hederae terrestris, florum bellidis minoris, arnicae, etc., quae vero magis nocua, quam utilia mihi videntur. Pulmones enim regulis diaeteticis roborantur, et grumi paullatim sponte ejiciuntur. Ut autem passivae haemoptysis amoveatur recidiva, caussae debilitatis evitentur; victus sit nutriens et levis, ut ova recentia sorbilia, optimae carnes, modicum vinum; aër purus et siccus; servetur

animi quies; diu pergatur lactis usus; et tandem rusticari, et modice corpus exercere admodum juvat. Dum haemoptysis est symptomatica aut secundaria, ad naturam primarii morbi curatio aptanda est. Si itaque ab affectionibus spasmodicis oriatur, expediunt quae spasmos sedant et resolvunt, ut extractum hyoscyami, opium, ejusque composita, balnea pedum, clysteres emollientes; etc. si a gastricis sordibus, levia purgantia; sed ubi adest plethora, vel aliqua inflammatoria complicatio, omittenda non est sanguinis missio: si a scorbuto, antiscorbutica; imprimis acida vegetabilia, et mineralia, cortex peruvianus, lac; et ubi summa sit virium debilitas, modicus vini usus: si a febribus intermittentibus, cortex peruvianus; praemissa venae sectione, aut purgatione levi, si adsit plethora, aut gastrica sordities: si a variolis confluentibus, persaepe prosunt potiones frigidae ex aqua et acido sulphurico, quae fervori et solutioni sanguinis opponuntur: si a calculis pulmonum, oportet illorum ejectioni favere, sanguinis sputum reprimere, inflammationem

praecavere, dolores sedare; ideo conducunt prius sanguinis missiones, victus tenuissimus, animi et corporis quies; deinde oleosa, et lac: si ab obstructionibus viscerum abdominalium, resolventia: si a retrocessu materiarum morbosarum, ut herpeticae, rheumaticae, podagricae, quae ad pulmones non raro transferuntur, praeter remedia, quae in hos morbos praestant, continuo apponenda sunt vesicantia, sinapismi, et danda diaphoretica; sed saepe ad inflammationem pulmonum praepediendam, necessariae sunt venae sectiones, et etiam cucurbitularum scarificatarum, et fonticulorum applicatio. Tandem si haemoptysis traumatica sit, secundum varias caussas curatio differt. Si proveniat a vulnere, conveniunt sanguinis missiones, victus tenuissimus, silentium, quies; si ab extraneis deglutitis corporibus, et glottidi aut tracheae adhaerentibus, ea sunt aptis instrumentis, aut laryngotomia extrahenda, venae sectiones instituendae, abstinentia et quies servanda, et tandem opiata adhibenda.

Haematemesis

§. 977. Vomitus sanguinis saepe nigricantis et concreti a ventriculo, vel a vicinis partibus proveniens dicitur haematemesis. Ejusmodi vox ex αἷμα sanguis et ἐμασία aut ἔμεσις vomitus constat. Quoniam rejectus sanguis modo est ruber et purpureus, modo niger coactus vitiosus; in primo casu simplex haematemesis appellatur, in altero morbus niger Hippocratis, aut melaena. Etenim medicinae parens in lib. 2. de morbis LXXXI. hoc sanguinis profluvium grafice descripsit, et μέλαιναν νοῦσον idest morbum nigrum vocavit. Haematemesis igitur et melaena est una eademque affectio; et differentia minus quoad sedem, sed solum quoad colorem sanguinis, et vehementiae gradum consistit; nam melaena gravior est. Per propria symptomata ab haemoptysi haematemesis distinguitur; siquidem in hoc morbo rejicitur sanguis plerumque nigricans,

coagulatus, alimentis aliisque substantiis in ventriculo contentis immixtus; sine tussi, at saepe cum nausea; et frequenter sensus ponderis, doloris, anxietatis in regione epigastrica vomitum cruentum praecedit; et aliquando ejusdem sanguinis dejectiones non desunt. Consideratione horum symptomatum discerni etiam potest vera haematemesis a simulata, in qua illa deficiunt. Facile enim hic morbus, si sanguis alicujus animalis hauriatur, simulari potest, ut apud Sauvages, aliosque extant exempla.

§. 978. Dividitur haematemesis in primariam, et symptomaticam; quamvis nonnulli, eam aliorum morborum, praecipue localium, symptoma judicant. Si primaria, ut caeterae haemorrhagiae, vel activa vel passiva est. Activa oritur a plethora, et a nimio virium vitalium vigore; passiva ab universali vel particulari vasorum abdominalium debilitate, quae quidem frequentior est. Quia haemetemesis interdum a suppressione alicujus sanguineae exinanitionis proficiscitur, ejusque vices gerit, ut menstruorum, vel haemorrhoidum fluxus, et periodi-

ce recurrit, dicitur periodica. Tandem haematemesis est etiam traumatica, quae a caussis traumaticis sive internis, sive externis oritur, ut à vulnere, ictu, casu; vehementioribns emeticis et purgantibus; veneficis, causticis, corrosivis substantiis; aciculis, diffracto vitro, hirudinibus, quae cum stativis et lutulentis aquis hauriri possunt.

§. 979. Si haematemesis et melaena non distant nisi gradu; essentialia symptomata similia sunt. Interdum nullum praeit symptoma, ut observationibus confirmat, P. Franch; sed ut plurimum prodroma non desunt, ut debilitas, tristitia, os amarum, nausea, sensus ponderis ad ventriculum, digestio difficilis, ructus tetri odoris, cardialgia, faciei pallor, ad vomitum propensio, vomitus biliosus, acidus, oculorum caligo quos lividus color circumdat; pulsus debiles, parvi, spastici, frequentes, hypochondriorum tensio, lumborum, intestinorum, sinistri hypocondrii dolor, bibendi desiderium, somnus tristibus imaginibus abruptus, interdum salivatio, singultus, re-

spiratio suspiriosa, cordis palpitatio, vertigines, aurium tinnitus, syncope, manuum et pedum frigus. Deinde augentur vomendi conatus, usque eo quod cum alimentis et materiis, quae in ventriculo continentur, majore vel minore quantitate rejicitur sanguis. Post vomitum quia stomachus extravasato sanguine exoneratur, aegri sublevantur. Non semper vero cito cessat vomitus; sed adeo interdum persistit, ut plures librae sanguinis evomantur. Tum valde crescit virium debilitas, et periculosae contingunt syncopes. Ejectus autem sanguis modo est purpureus, modo dilutior, modo niger, piceus, coactus, modo foetidissimus, qui ut supra diximus, constituit melaenam. Quandoque ob nimis auctam debilitatem non amplius sanguis evomitur, et tum in ventriculo et intestinis cumulatus et bili faecibusque mixtus ingentem corruptionem subit. In melaena sanguis, qui ejicitur et etiam dejicitur, diversos offert corruptionis gradus; nam nunc est ater, piceus, coactus, nunc dissolutus, nunc saburris biliosis aliisque compositus, nunc maxime foetens, et cadavere olens.

Digitized by Google

Observandum est, quod sanguis, qui magis in ventriculo et intestinis corrumpitur, jam vitium contraxerat in vasis ubi stagnat, et ex quibus niger secernitur. In melaena, quae simplici haematemesi gravior est, pulsus sunt debiles; vultus pallet, livescit; sudor manat frigidus; frequentia sunt animi deliquia. Inquit Alibert, aegros esse ad maniam dispositos, saepe feroces, violentos, suspiciosos, diffidentes, ingratos. Nos vero in pluribus casibus hanc non observavimus ferociam; sed tantum maximam tristitiam, animique dejectionem. Cum vero Hippocrates loc. cit. tam praeclare morbum nigrum exaravit, operae pretium est, ejus verba referre = Nigrum vomit sicut fecem, quandoque cruentum, quandoque sicut vinum secundarium, quandoque sicut polypi atramentum, quandoque acre sicut acetum, quandoque salivam et pituitam, quandoque bilem viridem. Et ubi quidem nigrum et cruentum vomuerit, cadaveris foetorem refert, et pharynx et os a vomitu aduruntur, et dentes stupescunt, et quod vomitu rejectum est terram elevat. Et postquam

vomuit, paulum melius se habere putat. Et neque sine cibo esse, neque ampliorem cibum ferre potest. Verum cum sine cibo manet, viscera sugunt, et salivae acidae sunt. Cum vero cibum sumpsit, gravitas est in visceribus, et pectus ac dorsum ut stilis pungi videntur, et dolor occupat latera, et febris debilis est, et caput dolet, et oculis non videt, et crura gravantur, et color niger est, et consumitur. =

§. 980. Si primaria et activa haematemesis nascitur a plethora, et a nimiis vitae viribus, ad hanc dispositi sunt plethorici, perpasti, obesi, et aliqua sanguinis exoneratione carentes. Hujus caussae occasionales sunt praesertim quae vasa ventriculi exstimulant, et affluxum sanguinis augent, qui ab illis exsudat et in ventriculum ipsum et intestina diffunditur, ut nimia alimenta inprimis irritantia; abusus vini et liquorum spirituosorum; cursus, saltatio, equitatio; animi pathemata, praesertim ira; suppressio menstruorum, vel haemorrhoidum fluxus. Haematemesis ab hisce caussis orsa a Sauvages, Alibert, aliisque

dicitur plethorica. Sic si passiva haematemesis a virium vitalium defectu, maxime vasorum abdominalium nascitur, ad hanc proni sunt macilenti, melancholici, debiles, animi affectionibus acti. Caussae hujus occasionales sunt quae deprimunt vitae vires, inprimis vasorum abdominis, in quibus congeritur sanguis, unde dilatantur, praecipue venae, quae varicosae fiunt, ut boni alimenti parcitas; animi deprimentes affectus, ut tristitia; abusus veneris; insalubris aër. Eaedem caussae morbum nigrum producunt, qui juxta veteres a liene ortus credebatur. Sanguis, qui ejicitur niger, è vasis per internam ventriculi superficiem reptantibus exsudat, ubi plus minusve stagnat, ut jam Hoffmannus et Morgagnius affirmarunt. Haematemesis symptomatica nascitur a morbis acutis, vel chronicis; universalibus, vel localibus; ut febres varii generis, variolae, et scarlatina maligna; scorbutus; obstructiones hepatis, lienis, aliorumque viscerum; spasmodicae constrictiones abdominis; aneurysma arteriae coeliacae, quae per ventriculi membranas distribuitur; ulcera ventriculi,

pancreatis, intestinorum, etc. Etiam interdum gestatio in caussa est; nam per uteri distensionem sanguinis motus per venam portarum retardatur. Frequentior vero caussa sunt hepatis et lienis obstructiones, quae circulationi abdominis offendiculum objiciunt. Etenim per coeliacae ramos, qui ad hepar et lienem feruntur, libere non circumducitur sanguis; hinc eo magis ramus gastricus ejusdem arteriae adimpletur: aut compressis illorum viscerum venis, major sanguinis copia in ventriculi venis colligitur, quae inde distenduntur. Quae de caussis diximus cadaverum inspectionibus cofirmantur. Saepe enim inveniuntur turgor, et dilatatio vasorum; scilicet turgida vena coronaria major, et gastro-epiploica sinistra, quae confluit in venam splenicam; et vena coronaria minor, et gastro-epiploica dextra, quae in venam portarum convenit: dilatationes venarum ventriculi, et ramorum coeliacae aneurysmata. Aliquando etiam rupti reperti sunt dilatatorum vasorum parietes, sed raro; et interna membrana ventriculi et intestinorum laesa. In Nosocomio S. Spiritus villici dissecui

cadaver maelena perempti, qui erat quinquagenario major, melancholici temperamenti. Dum in hunc locum venit ad implorandam opem, jam erat abdomen tumidum; querebatur de dolore a regione epigastrica ad umbilicum extenso, nausea, siti; livescebat facies; summa aderat anxietas, desiderium vomendi, et vomitus materiae cruentae nigrae, et eodem tempore ejusdem materiae foetidissimae dejectiones uberrimae. Post aliquot dies interiit. Sectione corrupti sanguinis illuviem in cavitate ventriculi et intestinorum reperi, et innumera vasa membranarum mucosarum minime rupta, sed eodem sanguine tumentia, ex quibus manu pressis expedite exiliebat sanguis ipse. In illis maelena demortuis observavit Portal membranas ventriculi magis crassas et consistentes; vasa nigricante sanguine plena; maculas gangraenosas in ventriculi parietibus; pylorum constrictum et cartilagineum; viscera hepatis et lienis modo flaccida et mollia, modo scirrhosa. Tumor vero et duritia horum viscerum frequentius observatur.

§. 981. Haematemesis periculosa est; sed ut ejus exitus praedicatur, caussae et symptomata sunt advertenda. Primaria a caussis non tam gravibus profecta, nec profuso sanguinis vomitu nec acerbis symptomatibus stipata, minus affert discriminis. Rursus si a caussis validioribus oriatur, ejusque symptomata sint graviora, et effusior rejectio sanguinis, ut saepe evenit in passiva haematemesi, ubi summa est virium debilitas, et prava aegri temperies, magnum profecto urget periculum. Raro tamen tanta est sanguinis rejectio, ut extemplo necem afferat. Hujusce morbi recursus ob maximam quam inferunt virium jacturam, et consecutiones, ut hydropem, et consumptionem, maxime timendi sunt; ut etiam, si post saguinis vomitum non dissipantur symptomata, quae morbum comitabantur. Si vero in intestinis consistat sanguis, ubi prompte corrumpitur, ob symptomata, quae inde manant, maximum est discrimen. Febris est funestum signum; sed aliquando fluxa, et una cum morbo desinit. Maelena, ut pote a caussis gravioribus orta, ob irreparabilem virium

resolutionem, et lentam quam infert tabem, saepe exitialis est. Tamen interdum aegri non solum convalescunt, sed aliis etiam aegritudinibus liberantur, ut apposite pathol. spec. §. 382. ita adnotat Sprengel = Quamvis enim dum iterum iterumque massam eam atram ejicit aeger, vires magnopere infringantur, vertigines adsint, et caligo oculorum, quamvis oppletionem praecordiorum et rosionem queri pergat, somno tamen denique placido mersus, ubi expergiscitur, plurimum levaminis sentit, evanidis angoribus, doloribus stomachi intestinorumque et spasticis affectibus. Expedit igitur vomitus ille ad tollendas diuturnas aegritudines, icterum, colicos dolores ex haemorrhoidibus subnatos, et mesenterii dolores. = Haematemesis symptomatica secundum naturam morbi, a quo nascitur, plus vel minus affert periculi. Sic traumatica, prout ejus caussae leviores vel graviores sunt. Itaque lethalis est, si veniat a vulneribus ventriculo inflictis; aut a substantiis veneficis, et corrosivis: est sanabilis, si a deglutita hirudine ortum habeat. Observandum est, quod juxta Hippo-

cratis aphorismos morbus niger symptomaticus lethalis est. Inquit enim aph. 22. sect. IV. ≡ Morbis quibuscunque si bilis atra vel sursum vel deorsum prodierit lethale. Aph. autem 23. ejusdem sect. Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis bilis atra, vel qualis sanguis niger subtus prodierit; postridie moriuntur ≡. Hisce vero sententiis obstat experientia; nam interdum aegri sanitati restituuntur, ut Burserius, aliique animadvertunt scriptores.

§. 982. Pro curanda haematemesi, ejus species, caussae, et symptomata respicienda sunt. Dum est primaria activa et modica, a caussis levioribus orta, potiones frigidae acidulae, clysteres aut aliquod eccoprotitum ad alvi duritiem vitandam, juscula pro victu sufficiunt. Sed si aegri temperies plethorica sit; pulsus durus, plenus; ventriculus dolens; caussae exstimulantes; aut ex aliqua suppressione sanguinea oriatur morbus; oportet illa quantitate sanguinem mittere, quam varii casus expostulant, aut hirudines admovere. Deinde haemorrhagiam,

quae vires dejicere potest, interest cohibere; idque fit potionibus frigidis, nivatis, aut acidis vegetabilibus, vel mineralibus paratis. Cum autem extravasatus sanguis cito vitiatur, clysteribus ex aqua hordei, aut sero, vel levissimis eccoproticis, ut pulpa tamarindorum, sero tamarindato, decoctione cassiae, solutione mannae, est eliminandus. Si hisce obstet morbus, resupinus decumbat aeger, et super epigastricam regionem compressae frigidae apponantur. Si autem haematemesis passiva sit, illico dentur potiones ex aqua gelidissima, aut ex frigida cum acido sulphurico; non turbetur animi et corporis quies; aliquis clyster ex aqua hordei, aut sero lactis injiciatur. Represso sanguinis vomitu, jura carnium vix egelida cum succo citri concedantur. Deinde conveniunt tonica, et quae etiam adstringenti virtute pollent, ut decoctio corticis peruviani, radicis rathaniae, gummi chino, etc. Sed si exposita ratione non subsistat morbus, applicanda est nix ad regionem ventriculi, et serum lactis aluminosum potest adhiberi. Si ob nimiam sanguinis jacturam contingant animi deliquia,

usurpentur cordialia, et vinum. Inhibito vomitu, paullatim augeatur victus; naviter effugiantur caussae, ne morbus redeat. Si haematemesis sit symptomatica, expediunt praecipue remedia, quae in primarium morbum valent. Dum igitur est febrium intermittentium symptoma, praecipuum remedium est peruvianus cortex; si febrium nervosarum, tonica, anodyna, antiseptica; si obstructionum hepatis, lienis, resolventia; si scorbuti, antiscorbutica; si congestionum sanguinis in visceribus abdominis, hirudines vasis haemorrhoidalibus applicitae, quae etiam juvant, si primarius morbus sit hypochondriaca affectio, sub qua venae portarum laeditur systema. Tandem si traumatica, pro varia caussa remedia differunt. Si igitur oriatur ab aliquo veneno, praestant quae hoc destruunt et corrigunt; si a deglutitis hirudinibus, solutio salis marini in aqua, vel aceto est porrigenda.

GENUS QUARTUM

Haemorrhois

§. 983. Haemorrhois est graecum nomen ex αἷμα sanguis et ῥοὴ fluxus conflatum. Usurpabatur ab Hippocrate ad profluvium sanguinis ex ani venis indicandum, ut ex aph. 30. lib. 2. et 12. 21. lib. 6. et alibi liquet. Post Hippocratem etiam ab aliis, licet eodem nomine illa significatur venarum dilatatio intus et extus circa anum, quae a medicinae patre lib. de haemorroid. III. 12. vocatur κονδυλώδης αἱματιτις, idest extuberatio sanguinaria, et etiam simpliciter κονδυλώδης, seu extuberatio. Nos quoque ne a longo deflectamus usu, uno haemorrhoidis nomine tam fluxum sanguinis ex recti intestini venis, quam harum venarum, quae dicuntur haemorrhoidales, varicosos tumores intelligimus. Hi autem a Sauvages Nos. method. appellantur mariscae; et cum ex ani venis exilit sanguis, hujusmodi fluxus

vocatur haemorrhois ; sed pauci hanc distinctionem amplectuntur.

§. 984. Dividi debent haemorrhoides in primarias, symptomaticas, secundarias, criticas ; internas, et externas ; caecas, et apertas; simplices, et complicatas; periodicas; mucosas; devias. Saepe primariae a fluxu puri sanguinis constituuntur, et ut caetera sanguinea profluvia vel ab aucta vel ab imminuta vitali vi habent originem : symptomaticae vel non imminuunt, vel augent primarium morbum, a quo nascuntur : secundariae alicui vicinarum vel remotarum partium vitio succedunt ; criticae alicujus morbi levamen, aut solutionem afferunt; et quia frequenter contingunt, summopere et hyperbolice a Germanis laudantur : internae supra sphincterem clauduntur, et plus vel minus in rectum intestinum extenduntur : externae circa podicis marginem emicant : caecae sunt tumores rotundi, aut anulum varicosum circa ani orificium effingunt absque sanguinis fluxu : apertae profundunt sanguinem, praecipue sub faecum expulsione; quae cum internae sunt, cruor manat ex vasis venosis

haemorrhoidalibus, quae illum ad venam portam vehunt; cum autem externae a venae cavae ramis erumpit sanguis: simplices propriis symptomatibus procedunt: complicatae aliis componuntur morbis: periodicae constanti ordine regrediuntur, ut singulis mensibus, aut sexto quoque mense, et quae ad conservationem salutis saepe necessariae fiunt: mucosae, cum serosa et mucosa materies ex vasis recti intestini depluit: deviae, cum sanguis non amplius ex ani vasis stillat, sed ab illis aliarum partium, ut oris, uteri, vesicae urinariae, etc., et tum ab istis partibus accipiunt nomen.

§. 985. Subinde inchoant haemorrhoides absque antecedentibus signis; sed ut plurimum haec praecedunt, easque comitantur, secundum morbi speciem, et aegri conditionem diversa, ut morbosa ventriculi affectio, inappetentia, pravae digestiones, ariditas oris, nausea, ad vomitum propensio, aut bilis vomitus, lingua muco obducta, venter modo tumens modo depressus, flatus, borborygmi, alvus dura, praecordia oppleta, virium prostratio, inferiorum extremitatum

torpor, caloris et frigoris vicissitudines, vertigines, capitis dolor, respiratio difficilis, cordis palpitatio, vigilia, aut somnus inquietus, visisque excussus, pulsus constricti irregulares celeres pleni duri, post quemvis corporis motum lassitudo et respirandi difficultas et erumpit sudor. Mox alia adjunguntur, quae proprie praeeunt haemorrhoidalem cursum, proindeque vocantur haemorrhoidalia molimina, ut sensus ponderis intra rectum intestinum, dorsi et lumborum tensio, ani pruritus et ardor, glandis etiam et perinaei prurigo, mejendi difficultas, urina flammea quae interdum supprimitur, colici dolores, tenesmus. Dum hic molestat, et dejiciendi faeces urget necessitas, incipit fluxus modo parcus modo copiosus haemorrhoidalis sanguinis ut plurimum densi et subnigri. Tum minuuntur aut conticescunt exposita foenomena, reditque sanitas. Sed saepe hic fluxus revertitur, periodicus fit, et hinc symptomatum series per circuitus comparet. Quoniam, ut diximus, in variis speciebus symptomata variant, quae ipsa sint, videamus.

§. 986. Cum haemorrhoides externae sunt et caecae, extant circa anum protuberantiae diversae magnitudinis, formae, consistentiae, coloris, quia venae juxta podicis marginem sunt plus vel minus turgidae, subrubrae, lividae, caeruleae. Ejusmodi protuberantiae modo sunt solitariae, majoris vel minoris voluminis, quod saepe illud cerasi aequat; modo sunt plures, et adnistar racemi conjunctae. Interdum habent basim plus minusve amplam; interdum fere pendent a pediculo. Si non aperiantur, crebro graves affligunt dolores, maximoque incommodo, praecipue supra dura corpora, aegri sedent. Quandoque tam extenduntur haemorrhoidales tumores, ut liberum impediant excrementorum transitum, vesicam urinariam premant, et in reddendis urinis dolorem suscitent. Non raro etiam afficitur tela cellularis, in quam effunditur sanguis. Dum protuberantiae efformant racemum, saepe comprimuntur et fere jugulantur sphinctere; et tum acerbus dolor, et tenesmus vexant. Interdum externae haemorrhoides supra sphincterem per rectum intestinum non parum protendun-

tur. Si autem haemorrhoides internae sint, cognoscuntur dolore, calore, pruritu, circiter recti intestini finem pulsatione, difficili et maxime dolenti faecum egestione, ipsis tumoribus haemorrhoidalibus internis, qui sub tenesmo foras detruduntur, et modo post tenesmum iterum ingrediuntur, modo remanent, et a sphincteris contractionibus strangulantur; unde magis tumescunt, et fiunt lividi, duri, maximeque dolentes. Cum internae haemorrhoides non exeunt, si introducatur digitus, tangi possunt. Cum haemorrhoidales tumores inflammantur, gravia excitantur symptomata, ut ardor molestissimus ani et viscerum, alvi durities, anxietas, valida febris, colicae, spasmi fibrarum circularium ani. Hanc inflammationem et spasmodicam sphincteris constrictionem nonnunquam excipit gangraena et sphacelus. Interdum succedit abscessus, qui si negligatur, et non aperiatur vel sponte vel arte, producuntur ani sinus et fistulae, ex quibus manat copiosa sanies. Interdum efformantur duritiae; siquidem materies in partes propinquas diffunditur ad concretionem compo-

sita. Interdum ob relaxationem affectarum partium sequitur prolapsus ani, et ipsa sphincteris resolutio. In ultimis gestationis mensibus juxta podicis marginem ampliantur haemorrhoidales protuberantiae, multum dolent, et sub ventris exoneratione acerbior fit dolor; adest tenesmus, et alvi durities. Hae vero saepe rumpuntur. Si haemorrhoides, sive externae, sive internae, apertae sint, ab ipsis egreditur sanguis. Dum internae sunt et fluunt, quia sanguis abscedit a venae portarum systemate, adsunt symptomata, quae non observantur, adnotante Alibert, in externis fluentibus haemorrhoidibus, quarum sanguis venit a vena cava. Hujusmodi symptomata sunt torpor, melancholia, cephalalgia, pondus in regione lumborum, in visceribus, tormina, vigiliae, stupor, vertigines, et caetera affectionis hypochondriacae foenomena. Saepe renovatur internarum haemorrhoidum fluxus, dum aegri faeces expellere nituntur. Si ejusmodi fluxus est immodicus, aut frequenter redeat, localia vitia, et universales morbi consequi possunt, ut ingens debilitas, consumptio,

febris hectica. Interdum sanguis lente fluit; interdum magno impetu, unde contingunt lipothymiae, et aliquando mors, cujus non desunt exempla. Si haemorrhoides sint mucosae, leviter inflammantur, et ex ipsis materies mucosa, tenax, indusio adhaerens exsudat. Saepe earum inflammatio per rectum intestinum producitur, et hinc interna ejus membrana eandem materiem emittit. Interdum in podicis margine fiunt suppurationes et abscessus. Potest etiam recti intestini prolapsus, aut spasmodica constrictio sphincteris contingere. Si ad omnia haemorrhoidum attendamus symptomata, earum fluxus cum aliis aut hepatis aut intestinorum, confundi non potest. Omnia enim morbi originem in podice aut in recto intestino denotant, ut sunt tumores circa anum, aut supra sphincterem absconditi, qui digito deprehenduntur; dolores, qui sub dejectionibus referuntur ad podicem. Praeterea tormina dejectiones non praecedunt, ut in dysenteria; nec sanguis dissolutus cum liquidis faecibus exit, sed ut plurimum spargitur supra induratas faeces.

§. 987. Uterque sexus haemorrhoidibus subjicitur ; sed provecta aetas ad eas magis disponitur. Etenim ab anno circiter trigesimo quinto humanum corpus ad plethoram arteriosam prius comparatum , ad illam venosam , inprimis venae portae ordinatur , unde haemorrhoides et haemorrhoidalis fluxus circa hanc aetatem ortum habent. Facile autem contingit plethora partialis intestinorum , quia eorum venae orbantur valvulis ; et sanguis contra suum pondus conscendere debet. In quibusdam familiis ad haemorrhoides adest haereditaria dispositio. Inter homines eas praecipue patiuntur plethorici , quorum densus sanguis vix per abdominalia viscera circumagitur ; obesi , laxi , tristes , ignavi , in quibus sanguis praecipue per illa lente movetur. Foeminae magis caecis , quam apertis haemorrhoidibus obnoxiae sunt ; sed magis gravidae et parturientes ob venarum hypogastricarum compressionem , quae fit ab utero, et ob vehementes partus nisus, sub quibus venae intumescunt. In quibusdam mulieribus , maxime plethoricis , una cum menstruis, aut

post menstrua haemorrhoides fluunt, dum in aliis per defluxam aetatem illis evanescentibus succedunt. Non raro in juvenibus, in quibus supprimuntur menstrua, è vasis haemorrhoidalibus erumpit sanguis. In utroque sexu si fluxus haemorrhoidalis symptomaticus, secundarius, criticus diu perstet, aut pluries revertatur, ad primarium disponit. Plures autem sunt haemorrhoidum occasionales caussae, ut accuratus victus; subitaneus ex vita actuosa ad ignavam transitus; abusus vini et spirituum, condimentorum aromaticorum, purgantium inprimis drasticorum et aloeticorum, clysterum tepidorum et acrium, diureticorum, potionum calidarnm et relaxantium; hypochondriorum compressio, et arcta vestimenta; assidua equitatio; suppressio alicujus sanguineae exonerationis; animi pathemata, ut ira, tristitia; vigiliae; diuturni labores; vita iners; longe provecta sessio; sodomia; nisus in egerendis faecibus; graviditas; etc. P. Franch de profluv. §. 623. quare apud plerasque gentes septentrionales, nostrisque temporibus apud foeminas, frequentiores sint haemorrhoides

ita exponit ⊐ Frequentior apud populos plerosque septentrionales haemorrhois ex frigoris diuturna et fortiore in vasa cutanea actione, ac sanguinis, ab istis adversi ad interiora congestionibus non minus, quam ex potuum spirituosorum abusu communiore, oriri videtur. Amictus tenuior, quo nostris temporibus sexus sequior ubique locorum, ac sine omni coeli differentia, vix ac ne vix quidem obtegitur, sicut morborum multorum, ita et haemorrhoidum in dies apud illum frequentiorum, scaturiginem satis explicat. ⊐ Haemorrhoides mucosae, ex quibus pluit mucosa et puriformis materies, effectus sistunt phlogoseos, quae ad partes vicinas extenditur. Dum enim venae haemorrhoidales nimium impleutur, tendunturque, irritatio nascitur, et ab hac inflammatio levis, et inde secretio muci. Si haec materies mucosa et puriformis in cellularem ambitum effundatur, tumores nascuntur, saepe spectabiles et duri. Caussae haemorrhoidum symptomaticarum sunt plures morbi, ut obstructiones hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesenterii, scirrhus uteri, ejusque

prolapsus, nec non ani et vaginae; morbi vesicae urinariae, hujusce calculus; contractiones hypochondricae; etc. unde expedita sanguinis per vasa haemorrhoidalia circulatio impeditur. Sic plures praecedentes morbi haemorrhoides secundarias producunt, quae aut per partium consensum, aut per materiae morbosae ad rectum intentestinum translationem exoriuntur, ut ubi torqueant nephritici dolores, saepe per consensum intestinorum spasmus excitantur, unde haemorrhoidales venae tumefiunt; aut ubi humor retrocessae podagrae non amplius ad articulationes, sed ad rectum intestinum feratur.

§. 988. Fit quaestio an sanguis ex ano fluens veniat a venis, aut ab arteriis, aut a vasorum capillarium systemate. Cullen haemorrhoidalem fluxum immediate ab arteriis scatere arbitratur; sed probabilius ab hiatibus et aperturis venarum, quae praetermodum tumescunt, reor. Qui autem illum a vasis capillaribus manare sentiunt, inquiunt, saepe sanguinem non esse nec arteriosum nec venosum, scilicet nec tam floridum ut arteriosum, nec tam lividum ut venosum.

Equidem fieri potest, quod dum irritationes propagantur et augentur, sanguis fluat a vasis capillaribus; sed ubi tales non sunt irritationes, ille a venis delabi videtur ut varices, et tumorum varicosorum apertura confirmat.

§. 989. Haemorrhoides a Stahlio ejusque sectatoribus ut cursus virili aetate necessarius putabantur, non secus ac in mulieribus menstrua; sed ipsae morbosam affectionem constituunt, etsi saepe utiles, aliosque morbos resolventes. Ut igitur earum habeatur prognosis, species, caussae, symptomata ponderentur. Haemorrhoides primariae et periodicae magis quam irregulares salutares sunt, ut persaepe illae, quae circa trigesimum aut trigesimum quintum annum comparent. Raro observantur in pueris, et ubi contingant, adveniente pubertate, evanescunt. Quae diu et ubertim fluunt, periculosae sunt; nam localia vitia, consumptio, debilitas ingens, febris hectica consequuntur. In hominibus robustis et plethoricis periodicae levamen afferunt; sed si proveniant ab universali debilitate, et

cacochymia, saepe hydropem et tabem inducunt. Cum tumores haemorrhoidales inflammantur, non semper resolvuntur, sed non raro in suppurationem abeunt, et hinc sinus et fistulae; aut in gangraenam et sphacelum. Interdum haemorrhoides fiunt scirrhosae et irresolubiles; aut cancerosae, cum scilicet exulcerantur, humorem tenuem foetidissimum rodentem emittunt, continue vexat tenesmus cum putidissimis dejectionibus, carnosae enormiter augentur, et inaequales fiunt; quas excipit consumptio, febris lenta, et mors. Si haemorrhoides mucosae sint et periodicae, mucosus exstillans latex interdum sanguinis vices gerit. Si vero nimis et diu fluat, ita affectae partes relaxantur, ut ani prolapsus et ipsa sphincteris resolutio sequi possit. Etiam ejusmodi haemorrhoides aut in abscessum transeunt, aut scirrhosae, aut carcinomatosae evadunt. Haemorrhoides deviae ad gravia saepe praeparant mala, ut si sanguis exeat per vesicae urinariae vasa, producitur mictus cruentus, et aliquando illius grumi concretionibus calculosis basim offerunt. Haemorrhoi-

des, si simplices, et a caussa levi nulloque negotio arcenda natae, ut est alvi durities, cito curantur; contra complicatae, si compositio difficilem sanguinis circulationem per ramos venae cavae, et portae reddat, ut illa cum affectione hysterica et hypochondrica. Animadvertendum, est, quod haemorrhoides licet simplices, et a caussa nullius momenti genitae, facile regrediuntur. Illae ex. gr. dolentes a longa sessione ortae, paullatim flaccescunt et indolentes fiunt; sed quia affecta pars debilis remanet, et laxa, ad tumorem, nova accedente caussa, disponitur. Hanc ob rationem in quibusdam periodicae evadunt, et salutares, quippe quae aut plethoram auferunt, aut cacochymiam, aut arcent mala, quae secus instarent. Si igitur singulis mensibus, aut quibusdam anni tempestatibus remeant, nunquam erunt supprimendae. Si enim inconsulto coercerentur, multi morbi acuti, et chronici, ut inflammationes, haemorrhagiae, dolores colici, obstructiones, asthmata, palpitationes cordis, animi deliquia, vertigines, cephalaea. melancho-

lia, paralyses, apoplexia, ischuria, mictus cruentus, impetigines, phthisis, et ipsa mors consequi potest. Senes apoplexia, aut paralysi corripiuntur, si sponte fluere desinant haemorrhoides. Ab harum repercussione, aut cessatione opplentur vasa intestinorum, omenti, mesenterii, hepatis, cerebri, cujus utpote laxiora, saepe labem contrahunt; vitiantur functiones omnes abdominis. Hinc jure de morb. cut. pag. 49. ita inquit Lorry = Certe saepe tot perpendenti malorum agmina, haemorrhoides non simplicis varicis ideam exhibent, sed, licet ratio nihil simile indicet, indicantur inter potentissima naturae emunctoria jure constitui, ita ut nullum fere sit malum quod ab illorum repercussione nasci non viderim, ita ut etiam haemorrhoides arthriticas observaverim. = Haemorrhoides symptomaticae secundum primarii morbi naturam possunt aut non possunt sanari. Quapropter si a calculo oriantur vesicae urinariae, a quo venae haemorrhoidales comprimuntur, irritanturque, nisi extrahatur calculus, resolvi minime possunt; si autem ab obstructione hepatis, lienis,

pancreatis, glandularum mesenterii, nisi illius resolutione non vanescunt. Etiam ejusmodi haemorrhoides nullo modo repercuti debent; secus morbi primarii augentur incommoda; scilicet vasa inferciuntur sanguine, et dolores, distensiones, inflammationes nascuntur. Maxime autem periculosum est, haemorrhoides symptomaticas repellere, quae evidenter naturam praeseferunt morbi, a quo habuerunt originem, ut op. cit. p. 50. sic animadvertit Lorry = Praeterea dantur etiam haemorrhoides evidenter herpeticae, viciniam omnem ani herpetibus implentes et pruritu notandae. Dantur erysipelatosae, phlegmonodes, et cito suppurationem affectantes. Quae singulae naturam mali, a quo exortae sunt servant, et repercussae nullas non invadere partes possunt. = Etiam haemorrhoides secundariae facile aut difficile sanantur, secundum morborum antecedentium indolem, a quibus derivarunt. Si ex. gr. veniant post hystericas aut hypochondriacas contractiones, saepe sponte dissipantur; sed non ita expedite, si qua morbosa materies ad rectum intestinum transferatur. Etenim et-

si haec materies ad alias exportetur partes aut deturbetur, subsistit affectae partis debilitas, quae ad fluxum primarium haemorrhoidalem aptat. Nec hujusmodi secundariae haemorrhoides sunt repercutiendae ut graviora et periculosiora mala evitentur. .Curavi hominem natalium splendore conspicuum, qui ob retrocessam podagram haemorrhoidum fluxum cum recti intestini doloribus patiebatur. Si forte hic supprimebatur, nunc vesicam urinariam, nunc intestina, nunc hepar podagra aggrediebatur, unde horum viscerum periculosissimas phlogoses pluries perpessus est. Ejus igitur salus in tuto erat, cum aut podagra rursus in articulationes insiliebat, aut fluebant haemorrhoides. Tandem si criticae, salutares sunt; ideoque maximum urgeret discrimen, si improvide reprimerentur.

§. 990. Curatio etiam haemorrhoidum est praecipienda, prout species, caussae, et symptomata postulant. Haemorrhoides itaque nascentes in sanis corporibus a caussa, quae aut auget affluxum sanguinis ad

haemorrhoidalia vasa, aut libero illius ascensui per vasa venae cavae et portae opponitur, ut diuturna sessio, alvi durities, equitatio, etc., et non ad aliquem tollendum morbum aperiuntur; sollicite sunt amovendae; nam etsi simplices ad recidivam sunt proclives. Tum curatio caussarum fuga, et remediis caussas abigentibus continetur. Si habituales sint, non reprimendae, sed ipsis caute modus est imponendus. In omni casu prae oculis habeantur caussae. Si ideo generalis plethora in caussa sit, quod a plethorica aegri temperie, pulsu pleno duro, etc. cognoscitur, semel aut pluries convenit sanguinis missio è brachii vena; quae leniter alvum sollicitant; victus vegetabilis; modica corporis exercitatio; ab exstimulantibus abstinentia; lectus durus; supinitas; potiones refrigerantes; et diu pedibus aegri non consistant: ac ubi haemorrhoidalis cursus modum praetergrediatur, sedulo evitetur externus calor, potiones frigidae et acidae hauriantur, lintea aqua frigida madida super lumbos, internas coxarum partes, et perinaeum apponantur. Si autem

caussa sit universa corporis debilitas, praecipue vasorum abdominalium, apta sunt quae roborant, sed considerate procedendum. Ubi enim urgent haemorrhoidalia molimina, et sanguis labitur ab haemorrhoidalibus vasis, stimulis efficacioribus parcere debemus; sed ad restaurandas vires porrigantur juscula, et potiones sint frigidiusculae; deinde adhibeatur succus plantaginis, decoctio millefolii, seminum urticae, lac; tandem infusio frigida corticis peruviani; et aeger vigiliis, studiis, et animi deprimentibus affectibus abstineat. Abusus adstringentium est improbandus; sed dum fluxus est immodicus, et summam debilitatem parit, externa et interna adstringentia sunt adhibenda, ut frigidae et acidae potiones, et lintea ex decoctione corticis quercus, aut aliqua solutione aluminis madida. Plura autem sunt remedia, quae et a vulgo, et a practicis in haemorrhoides praedicantur, ut digitalis purpurea, balnea, semicupia modo tepida, modo frigida, etc. Ast balnea tepida hyeme, frigida aestate utilia esse possunt, quae vero instante haemorrhoidali fluxu nunquam

conveniunt. De efficacia digitalis purpureae anno 1810. disseruit Rubini, et affirmavit pluries aquosam illius infusionem reperiisse utilem, quam ex duabus circiter foliorum digitalis drachmis et libra aquae communis paravit. Hanc in anum injecit, et super externas haemorrhoides applicuit. Etiam in aliquo casu digitalem ferrugineam utiliter substituit. Asserit Lean, salutarem pro usu interno digitalis purpureae tincturam comperiisse tam in interna, quam in externa haemorrhoidali affectione. Eques Speranza inquit an. clin. 1824-25. pluries vidisse tumores phlogisticos haemorrhoidales infusione digitalis imminui. Nos etiam tantorum virorum experientia freti in nosocomio S. Spiritus idem remedium adhibuimus, sed absque fructu; id vero digitalis utilitatem in aliis casibus non excludit. Etenim sicut digitalis actionem arteriosi systematis refraenat, sic potest venarum orgasmum probabiliter temperare. Rubini persuasum habet, quod ut in suis experimentis utilis fuit digitalis, in aliis casibus inutilis, et etiam nocua esse possit. Dantur tumores

haemorrhoidales, qui sola digitorum pressione, et aquae frigidissimae applicatione cito resolvuntur, ut turgidi et non dolentes. Hoc simplici modo, dum alia remedia erant inutilia, juvenem triginta annorum studio literarum deditum, optimaque temperie donatum, cui ob assiduam sessionem hujusmodi haemorrhoidales tumores prodebantur, sollicite persanavimus. Inquit Thomas, in quibusdam casibus, dum tumores erant numerosi et turgidi, levem pressionem profecisse, scilicet unumquemque tumorem seorsim leviter premendo, et intra indicem et pollicem aliquantulum constringendo. Non raro vero tumores haemorrhoidales admodum dolent, et inflammantur. Tum necesse est mulcere dolorem et inflammationem solvere; nam quantum per nos licet amovenda est suppuratio, cui saepe succedit fistula. Idcirco applicentur hirudines, et unguentis emollientibus affectae partes perfundantur, fiant fotus, emplastra emollientia apponantur, aut vapores decoctionis calidae malvae ex perforato sedili excipiantur. Ut autem vitetur alvi durities, detur pulpa cassiae, aut tamarin-

dorum, et injiciantur emollientes clysteres. Si forte hirudinum morsus non penetret membranas, et multum tumores distenduntur, incidantur lanceola, ut concretus sanguis extrahatur. Non parum enim levaminis ex spontanea vel artificiali tumorum apertura aegrotantes percipiunt. Interdum vero licet sollicitam operam ponimus, ut tumores haemorrhoidales resolvantur, tamen vel in suppurationem, vel in duritiam scirrhosam, vel in gangraenam transeunt. Statim ac suppuratio comparet, aperiatur abscessus; secus in affectis partibus, utpote humidis et adiposis, sinus aut fistulae facile consequuntur. Dum autem haemorrhoides scirrhosae aut verrucosae fiunt, institui potest extirpatio, quamvis ob haemorrhagiae timorem generatim non admittitur, vel ligatura vel ferro, secundum figuram, quam illae praeseferunt. Si basim habeant strictam, et fere pendeant a petiolo, ligatura praefertur, qua haemorrhagia impeditur, et haemorrhoide delapsa, raro alia requiritur curatio; si vero larga sit basis, tum ferro haemorrhoides rescindere est. Si post operationem exilire non desinat sanguis, lintea aqua fri-

gidissima madefacta, aut turundae ovi albumine cum alumine subacto perfusae apponantur. Si vero sanguis sicut ab arteriis irrumpit, tum admovendae sunt turundae aqua Rabelii aspersae, et per aliquot horas compressio fiat. Si scirrhosae haemorrhoides evadant cancerosae, curatio palliativa sit, ut in cancrum. Hoc in casu supervenit lenta febris, consumptio, mors. Dum haemorrhoides sunt mucosae cum levi inflammatione, curandum est, ut resolvantur. Itaque inungantur unguento composito ex butyro vaccino lithargyrio praeparato et ovorum vitellis. Hoc vel aliis similibus remediis aut resolvuntur, aut cum aegri levamine aperiuntur. Interdum haemorrhoides per pressionem sphincteris, transitum faecum, fluxum acris muci, decorticantur, et dolent. Tum emplastra emollientia adjiciantur, aut butyro recenti insulso, oleo vitellorum ovorum, mucilagine seminum cydoniorum, lini, etc. perungantur. Si haemorrhoides sint complicatae cum aliis affectionibus, hujusmodi compositio est auferenda; ut si cum prolapsu recti intestini, oportet post faecum ex-

pulsionem, ut protrusa pars intro reducatur, quod fit levi digitorum pressione: praeterea removendae sunt caussae occasionales hujusce prolapsus. Idcirco si proveniat a laxitate recti intestini, praeter accomodatam ligaturam, interna et externa adstringentia juvant. Compressae decoctione corticis quercus, aut lintea aqua frigidissima imbuta utiliter adhibentur. Si haemorrhoides salutares sint et habituales, sollicitissime revocentur, si extemplo supprimantur; idque fit vaporibus aquae calidae versus rectum intestinum immissis; hirudinibus vasis haemorrhoidalibus applicitis; semicupiis; levibus purgantibus; equitatione. Minus tuta sunt remedia ex helleboro, aloe, aliisque similibus parata, ut P. Franch, aliique animadvertunt. Si a suppressis haemorrhoidibus jam alia mala compareant, praeter remedia, quae eas reducunt, etiam alia pro re nata eligantur. Haemorrhoides symptomaticae et secundariae non aliis curantur auxiliis, quam quae in morbos primarios expediunt. Methodus tandem prophylactica in diffugiendis caussis, sobrietate et convenienti victu, facili

ventris exoneratione, modica corporis exercitatione consistit.

GENUS QUINTUM

Haematuria

§. 991. Cursus puri sanguinis per urethram, vel ejectio urinae cruentae dicitur haematuria, a duabus graecis vocibus αἷμα sanguis, et οὐρέω mingo; sed a Sydenham, Hoffmann, aliisque mictus cruentus. Cruor autem a vasibus renum, ureterum, vesicae urinariae, urethrae, et interdum vesicularum seminalium erumpit, unde sperma sanguineum ejicitur. Hic morbus utrique sexui communis magis senum et debilium proprius est. Eo nunquam laborant pueri, si excipiatur calculosae affectionis casus.

§. 992. Haematuria in primariam, symptomaticam, secundariam, criticam, traumaticam, veram, et spuriam distribuitur. Primaria non est tam frequens ut symptomatica, et interdum periodica, ut quae oritur

ab haemorrhoidum, vel menstruorum defectu, cui supplet: symptomatica a morbis viarum urinae, aliisque ut febribus, exanthematibus, scorbuto, etc. nascitur: secundaria alias excipit aegritudines, ut diabetem, et diuturnos venereos fluxus: critica circa morborum acutorum finem evenit, et salutaris esse potest: traumatica ab externis violentiis producitur, ut sunt lapsus, ictus, vertebrarum luxatio: vera est emissio puri sanguinis, aut urinae cruentae: spuria urinae rubrae, apparenter sanguineae. Hujusmodi divisio utilior mihi videtur, non illa quae totidem constituit species, quot sunt haematuriae caussae.

§. 993. Non semper discernere possumus loca, ex quibus manat sanguis; sed non raro signa scaturiginem indicant. Si enim sanguis a vasibus renum exiliat, saepe horum viscerum morbosae affectionis praecedunt signa, totius corporis torpor, dolores et ponderis sensus circa renum regionem; deinde emittitur floridus sanguis tam intime cum urina mixtus, ut nihil ad fundum matulae deponatur; difficilis est, aut interci-

Digitized by Google

pitur urinae secretio. Si vero sanguis a vasis minoribus ureterum exstillat, paucus redditur cum urinis; dolor a regione lumborum ad illam vesicae urinariae producitur. Interdum sanguis a renibus et ureteribus proveniens, paucus est, lente excurrit, densatur, efformat grumos, et in ureteribus, ut observavit Sauvages, figuram vermiformem adipiscitur. Si hujusmodi grumi in vesicam non descendunt, fluentibus urinis impedimentum objiciunt, unde distenduntur ureteres. Si sanguis a vesica scaturiat, praecurrunt, et comitantur signa, quae hujus morbosam affectionem ostendunt, ut dolores, ardor, tensio ad regionem hypogastricam, dolentissima urinae excretio, interrupta spasmis, urina muco, materiei puriformi, et membranaceis filis commixta; sanguis cum urina redditus, ad fundum vasis obscurus deponitur. Cum vesica est admodum sensilis, a quavis quantitate vel urinae vel sanguinis exstimulatur, ideoque valde molestus est sanguinis mictus. Aliquando tamen absque gravibus molestiis exit sanguis cum urina. Symptomata adaugeri possunt,

si stimuli ad vesicam augeantur, vel nimis effundatur sanguis, ut sunt difficultas retinendi urinam, aut hujus retentio, aut continuus mejendi nisus, dysuria, stranguria, tenesmus ad anum, anxietas, atroces dolores, vomitus, nausea, animi deliquia, sudores frigidi, pulsus obscurus, frequens, contractus. Ut plurimum vero placantur symptomata; urinae fiunt minus cruentae, liberiusque fluunt. Ast si in cavitate vesicae efformentur grumi, saepe interrumpitur urinae cursus, tormenta et conamina sequuntur, sub quibus interdum grumi per urethram transgrediuntur, et ad fundum matulae muco mixti descendunt. Si sanguis egrediatur ab urethra, ex hac absque interruptione distillat, ut pus in gonorrhoea, sicut inquit Sauvages; et in aliqua illius parte torquet dolor. Tandem si sanguis ex vesiculis seminalibus emanat, aut cruentum semen, aut loco seminis purus sanguis ejaculatur, ut in projectis ad mastrupationem et effraenam venerem interdum observatur. Praeterea symptomata haematuriae verae variant etiam pro diversis hujus occasionali-

bus caussis; ut ex. gr. adest summus ardor, et violentus priapismus, si in caussa fuerint cantharides. Haematuria symptomatica signis stipatur aliarum aegritudinum, a quibus oritur. Non raro occurrit in variolis, peticulis, miliari exanthemate, cum virus agit in urinae vias. Cum venit a calculis, pro vario loco, qui ab his occupatur, eorumque magnitudine et scabritie, diversa exsurgunt foenomena. Si calculi asperi sint, et non parvi in uteteribus, acutus est dolor ad lumborum regionem, urina tantum sufficitur sanguine, difficilis est urinae excretio, sedimentum calculosum cadit. Etiam ob ingentem vesicae sensibilitatem gravia sunt, si in illa calculi extent. In haematuria spuria urina est admodum rubra; sed distinguitur a cruenta, in qua sedimentum grumosum deponitur. Ejusmodi urina rubra in febre ardente, aliisque pluribus morbis redditur. Pertinet ad spuriam, quae a Nosologis dicitur deceptiva, in qua urina ab esu quorundam alimentorum, ut a voratis ficubus opuntiae, rubis idaei baccis, et ab usu quorundam medica-

mentorum, ut balsami peruviani, sanguineo rubore tingitur. Si vero non amplius hae substantiae deglutiantur, prompte redit urina ad naturalem colorem. In judicando de haematuria, cavendum est, ne in errorem inducamur, ab apparentiis decepti. Si in mulieribus aut menstrua, aut lochia profluant, facile sanguis urinis confunditur: in febribus aut intermittentibus aut continuis saepe urinae videntur sanguineae, et sedimentum abjiciunt rubri coloris; sed si bene examinetur, sanguis non adinvenitur. Interdum vero urina est cruenta, sed nihil relinquit. Tum ut constet de praesentia sanguinis, observandus est urinae color. Etenim urinae sanguineae color ab illo differt, qui ab insigni copia uricae substantiae proficiscitur. Insuper urina cruenta album linteum, quod in ipsa immergitur, sanguineo rubore suffundit; coagulatur calore ebullientis aquae; est opaca, et ut plurimum deserit nigrum grumosum sedimen. Cum vero urinae rubedo ab immixto sanguine non pendeat, pellucida est; linteum non tingit colore rubro; et dum sedimentum demittit, paucum est, et rubrum.

§. 994. Praedisponentes haematuriae caussae sunt devexa aetas, haereditaria dispositio, temperamentum plethoricum, melancholicum, ingenita vel parta constitutionis debilitas. Uterque sexus est haematuriae obnoxius; haec tamen in hominibus frequentior est. Plures sunt occasionales caussae, sive externae sive internae, ut equitatio diuturna, et vehemens, vectio in rheda per salebrosas vias, violenta exercitatio post sedentariam vitam, iter diu non intermissum, plethora, suppressio alicujus exonerationis sanguineae, uterus gravidus, fortiora diuretica, cantharides, crapula, immodica venus, alimenta salita, abusus potionum calidarum et diureticarum, vini, etc. Cum haematuria est periodica a suppressione menstruorum, vel haemorrhoidum nascitur, horumque fluxuum vices explet. Dum deficiunt haemorrhoides, aut non rite fluunt, vesicae venae implentur sanguine, et varicosae fiunt, atque haemorrhoides vesicae appellantur, ex quibus in vesicam ipsam depluit sanguis, qui cum urinis emittitur. Caussae haematuriae symptomaticae sunt alii

morbi vel locales vel generales, vel acuti, vel chronici; traumaticae sunt violentiae externae, quae minimorum vasorum inferunt rupturam.

§. 995. Non datur haematuria sine aliquo periculo, praecipue si urinae cruentae aliquid materiei purulentae et saniosae contineant. Ut vero absoluta sit prognosis, speciem, caussas, symptomata animadvertere debemus. Itaque si haematuria primaria sit, a levibus caussis nata, ejusque symptomata mitia, fluxusque modicus, non tam infaustum portendit omen; tamen timendum est, ne efformentur sanguinis grumi, qui liberum urinae cursum praepediunt, et concretionibus calculosis basim suppeditant. Rursus maximum est discrimen, si haematuria in hominibns debilibus, et aetate confectis eveniat, a gravibus nascatur caussis, sit immodica, febris dolores et alia adsint symptomata. Si autem non solum sit immodica, sed etiam frequens, hydrops, lenta febris, et consumptio consequuntur. Prognosis haematuriae symptomaticae vel secundariae trahitur a primario morbo, a quo

proficiscitur. Maxime igitur periculosa judicatur, si oriatur a calculis, vel a viarum urinae exulcerationibus, et fluxus cruentus sit, et saniosus: lethalis, si a febribus et exanthematibus malignae indolis, scorbuto, diutinis venereis morbis; siquidem sanguinis dyscrasiam significat. Haematuria critica rara est, et ut diximus esse potest salutaris, licet in vesicae cavo grumi sanguinis confici possunt. Traumatica est majoris vel minoris discriminis, prout laesiones, quas in organis urinariis externae violentiae intulerunt.

§. 996. Etiam speciei, caussis, symptomatis accomodetur curatio. Haematuria primaria, quae nascitur a plethora et a nimio vigore, sanguinis missiones generales et locales; levia purgantia, ut sunt serum lactis tamarindatum, pulpa tamarindorum, cassiae, manna, sed nunquam salia urinae vias exstimulantia; enemata emollientia et laxantia; demulcentia; quietem et tenuem victum postulat. Contra si a virium languore proveniat, tonica et stiptica ut cortex peruvianus, ejus decoctio et extractum, de-

coctio ratanhiae, elixir vitriolicum cum frigida mixtum, vitriolum martis, serum aluminosum, gummi chino, potiones aquae frigidae simplicis aut acidulae, applicatio aquae frigidae aut contusae glaciei super regionem lumborum, hypogastricam, perinaeum, partes internas coxarum, clysteres ex aqua frigida et aceto, quies et victus tenuis et restaurans expediunt. Si oriatur a deglutitis cantharidibus, conveniunt emulsiones amygdalarum dulcium cum gummi arabico, decoctiones radicis salep, althaeae, et clysteres ex iisdem decoctionibus parati. Pro haematuria symptomatica et secundaria eligenda sunt auxilia secundum primarii morbi naturam. Quapropter si nascatur a renum inflammatione, conducit methodus antiphlogistica; si a calculis, venae sectiones, semicupia, potiones demulcentes mucilagineae, solutio gummi arabici, fotus emollientes, et emollientes clysteres, opium ejusque composita ubi saevi sint dolores; si a calculo vesicae, hic est extrahendus; si a febribus nervosis et malignis exanthematibus, antiseptica; si a scorbuto antiscorbutica. Cum

haematuria est traumatica, et aeger plethoricus, conferunt venae sectiones, et purgantia levia; sed si persistat, juvant adstringentia prius mitiora, deinde fortiora. Animadvertendum est, quod si per grumos sanguinis ad collum vesicae positos urina supprimitur, introducatur catheter, ut illi removeantur. Interdum utiliter in vesicae cavum injecta fuere, quae grumos sanguinis diluere et resolvere possunt. Balnea urinae cursum saepe restituunt; sed calida possunt haematuriam revocare.

GENUS SEXTUM

Metrorrhagia

§. 997. Naturalis sanguinis fluxus ex utero, qui ut plurimum aetate adulta per quatuor septimanarum intervallum revertitur, constituit menstrua, graece καταμήνια. Ab hoc distinguitur praeternaturalis, menorrhagia vocatus, ex graecis vocabulis μὴν mensis, et ῥέω fluo; sed a nonnullis re-

centioribus majore jure metrorrhagia ex μήτρα uterus, et ῥέω nuncupatur. Menorrhagia enim fluxum mensilem, qui etiam esse potest naturalis; sed metrorrhagia magis indicat praeternaturalem sanguinis fluxum ex utero. Dum igitur ex hoc viscere extra naturae legem et finem cum symptomatibus plus vel minus gravibus erumpit sanguis, dicitur metrorrhagia. In hanc verò naturales fluxus, ut menstrua, lochia, commutantur, si exuberantes sint et immodici.

§. 998. Inprimis metrorrhagia dividitur in primariam et symptomaticam. Illa aut activa est, aut passiva; haec oritur ab aliis morbis, ut febribus, exanthematibus, obstructionibus viscerum, scorbuto, uteri polypo, scirrho, cancro, etc. Primaria autem aut activa aut passiva suas continet differentias, quae pendent a caussis dissimilibus, vario mulierum statu et aetate; et variis nominibus a Nosologis appellantur, ut sunt metrorrhagia menstrua; gravidarum; parturientium; puerperarum; provectarum; etc. Hujusmodi differentiae, quae ut totidem existimantur species, proprias caussas ha-

bent et symptomata. Sed ut statui possint generales characteres, prius metrorrhagiam primariam activam et passivam considerabimus.

§. 999. Saepe activam metrorrhagiam praecedunt capitis dolores, vertigines, corporis gravitas, respirandi difficultas, lumbi dolentes, universalis calor, sitis, pulsus durus, plenus, frequens. Dein erumpit sanguis, et si fluxus sit modicus, et sponte aut artis ope cesset, omnia evanescunt symptomata, nec alia consequuntur. Si autem fluxus exuberet, superveniunt universae debilitatis signa. Etenim in robustis etiam temperamentis a nimia profusione sanguinis pallescit vultus, pulsus fit parvus, tardusque, membra frigescunt, relinquit animus. Passivam metrorrhagiam praegrediuntur foenomena, quae totius corporis et affecti visceris infirmitatem ostendunt, ut faciei pallor, horripilationes, respiratio laboriosa, defatigatio a motu, dolores dorsi renum uteri, ejusque ligamentorum distensiones, appetitus defectus, extremitatum frigus, lipothymiae. Haec symptomata fluente sanguine au-

gentur. Si ejusmodi metrorrhagia uberrima sit et diuturna, extremitates inferiores oedematosae fiunt, et leucophlegmatia sequitur. In foeminis praeter modum debilibus, et fluore albo laborantibus facile digitis uteri, ejusque oris laxitas deprehenditur. In immodicis metrorrhagiis semper gravia comparent symptomata, non solum propter sanguinis jacturam, sed etiam per consensum uteri cum aliis visceribus, ut vomitus, cruditates, tumor regionis hypogastricae tactu dolens, molestus pruritus per vaginam, respiratio celer, pulsus parvi intermittentes. Cum autem cursus sanguiuis coerceri non possit, praesto sunt lethalia signa, ut membrorum frigus, sudor frigidus et viscosus, tendinum subsultus, couvulsiones, et tandem mors. Haec sunt generalia metrorrhagiae symptomata; sed veniamus ad illa, quae hujusce profluvii speciales differentias constituunt.

§. 1000. Metrorrhagia menstrua menstruis nimis abundantibus, saepe repetitis, et quibusdam morbosis symptomatibus continetur. Sola menstruorum ubertas morbum non

constituit; nam plures sunt plethoricae mulieres, quae absque salutis damno sanguinem menstruum ubertim profundunt; nec rara sunt virginum exempla, quae bis in mense gaudent catameniis. Necesse igitur est, ut cum copioso profluvio adsint morbosa symptomata. Copia et permansio menstruorum ob varium foeminarum temperamentum, aliasque caussas, praefiniri non potest; tamen cum menstrua regularia sunt, raro sextam diem superant, nec minus quam tres dies persistunt, et gradatim minuuntur. In foeminis sanis, et bono temperamento donatis, quantitas sanguinis est sex vel octo unciarum, et etiam circiter libram. Plures per quinque aut sex dies quotidie uncias duas sanguinis emittunt; dum aliae minus. Generatim mulieres debiles, et laxae temperiei habent menstrua magis copiosa, magisque durabilia. Ubi autem sanguinis menstrui fluxus morbosus est, quae praeeunt aut comitantur symptomata, ut plurimum indolis spasmodicae sunt, ut vertigines, dolores capitis dorsi lumborum ventris, oscitatio, suspiria, anxietas, pallor, respiratio diffici-

lis , horripilationes , calor , extremitatum frigus , pulsus frequens inaequalis , praecordiorum tensio , oppressio pectoris , cordis palpitatio , nausea , vomitus, urina aquea , tremores , somnus inquietus visisque turbatus; sed non semper omnia haec aut pleraque , at vix aliqua interdum obveniunt. Etenim modo abundanter profluit sanguis quin evidentia compareant symptomata ; modo est liquidus et floridus, modo concrescit in grumos , qui uteri excitant dolores, et sub dolentibus conatibus expelluntur, et hinc aliud subit sanguinis profluvium. Exposita foenomena augentur , aliaque pervadunt , ubi profusio uberrima est , ut major virium debilitas , obfuscatio oculorum , rigidius extremitatum frigus , convulsiones , pedum tumores , leucophlegmatia , febris lenta , atrophia. Ex his alia dum sanguis affatim et cum impetu , alia dum copiose , sed lente labitur , impendent. Quae autem primis gestationis mensibus aut posterioribus intervenit , et a pluribus caussis nasci solet , dicitur metrorrhagia gravidarum. Dum uterus foetum continet, ejus clauditur os , nec am-

plius ab eo stillat sanguis. Interdum tamen post conceptionem per aliquem mensem periodicus sanguis fluit, et nonnunquam, sed raro, per totum graviditatis tempus absque salutis laesione; ast non ex utero, sed ex vaginae vasibus exilit. Quocirca si gestationis tempore sanguis manat ab utero, metrorrhagia constituitur, primis mensibus frequentior, ex qua abortus timendus est. Tamen aliquando consistit, gestationem non turbat, et post novem menses conceptus in lucem venit. Id gravidis evenit sanguine redundantibus, nec adsunt dolores; et sanguis ab aliqua uteri parte a placenta dissita provenit. Cum vero placenta plus minusve ab uteri superficie divellitur, graves sanguinis profusiones succedunt. Tum summa est virium jactura, obtusus dolor, et ardor uteri, qui tumefit, pallescit cutis, et invadit frigus; suscitantur uteri contractiones, et si foetus hisce resistat, sanguinis fluxus ex utero perseverat, nec desinit, nisi aut naturae viribus aut artis ope foetus et secundinae extrahantur. Versus gestationis finem ob placentae separationem contingunt periculosa

profluvia sanguinis. Tum moventur dolores et conatus sicut in parturientibus, collum et os uteri laxatur, et cum foetu secundinae expelluntur. Interdum vero propter defectum contractionum uteri, et ingentem virium debilitatem profluit copiose sanguis quin absolvatur partus; et tum non aliud extat praesidium, quam hunc accelerare. Dicitur metrorrhagia interna, quae producitur ab uteri ruptura, unde sanguis per abdomen diffundi potest, quin exeat per vaginam. Hujus signa sunt internus subitus et gravis lacerationis sensus, faciei pallor, frigus membrorum, convulsiones, quae sequitur mors. Spectat ad internam metrorrhagiam, quae oritur dum placenta prius quam expleatur partus, divellitur ab utero; aut dum placenta ab eo disjungitur in medio, unde sanguis sicut in sacco colligitur, quin a vagina abscedat. Quandoque sanguis in uteri cavitate cogitur, qui praeter modum dilatatur, nec guttula quidem illius abit, utpote os visceris restrictum. Tum difficilis est respiratio, distensio premit et pondus in uteri regione, interveniunt suffocationes,

vertigines, animi deliquia, aurium tinnitus, convulsiones, membrorum algor, et mors. Non raro accidit sub partu metrorrhagia, vocaturque parturientium. Ejus symptomata sunt plus vel minus gravia secundum profluvii copiam, aegrae temperamentum, et caussas modo leviores, modo graviores. Cum hujusmodi metrorrhagia est immodica, occurrunt generalia foenomena, quae ubi sunt gravissima consequi potest mors. Interdum in puerperis post exclusam prolem contingit per diversas caussas sanguinis profluvium, quod dicitur metrorrhagia puerperarum. Haec aliquando constituitur ab immoderato lochiorum fluxu, et tum lochialis appellatur. Lochia et quoad tempus, quo permanent, et quoad quantitatem discrepant; sed plerumque ad decimam quartam, et etiam ad vigesimam diem producuntur. Primis diebus sunt rubra, mox decolora, tandem serosa. Dum igitur magis perseverant et impensior est sanguinis jactura, maxime debilitantur vires, aliaque obveniunt metrorrhagiae foenomena. Subinde lochia primis puerperii diebus extra modum currunt; subinde posterio-

ribus; subinde non labuntur, formantque grumos, qui uteri os obturant. Hoc in casu lacessunt denuo uteri dolores et tensio; dein nisu extruduntur grumi, et hinc aliud excipit sanguinis profluvium plus vel minus persistens. Interdum metrorrhagia aetate advenit, qua menstrua desinere solent, et tum dicitur provectarum. Aut est primaria, aut alicujus uteri morbi symptoma. Plura sunt et varia signa, quae primariam distinguunt, ut dolor lumborum, gravitas totius corporis, tumor oedematosus extremitatum, virium debilitas; et dum est effusa, eo magis haec debilitas augetur, pulsus fit debilis, excruciant cephalalgiae, perstringitur visus, tinniunt aures, anxia est respiratio, et cordis palpitationes, animi deliquia, motus febriles, spasmi, convulsiones, consumptio superveniunt. Dum haec metrorrhagia est pertinax saepe leucophlegmatia, ascite, tumoribus oedematosis, et morte terminatur. Interdum cum fluxu albo, aut haemorrhoidali alternatur; unde maxime prosternuntur vires, circulatio et nutritio laeditur. Metrorrhagia symptomatica quavis ae-

tate contingit, dum uterus vacuus est aut foetus. Est aliquando febrium, inflammationum, exanthematum, affectionum gastricarum, obstructionum viscerum abdominalium, aut morborum uteri, partiumque vicinarum symptoma. Saepe provenit ab uteri prolapsu, et ab ipsius prolabentis mole, sensu ponderis in pelvi, quodam dolore versus ligamenta lata, et stranguria cognoscitur. Sanguis ab hac caussa fluens est copiosus vel parcus, ruber vel loturae carnium similis. Non raro metrorrhagia ab uteri scirrho, vel cancro nascitur, et a doloribus lancinantibus, aliisque signis harum affectionum propriis deprehenditur. Saepe repetit fluxus sanguinis, qui modo solutus est, modo coactus in grumos. Uteri vasa eo magis debilitantur, et elasticitatem amittunt, unde magis perseverat, et augetur sanguinis profusio. Vetulae, quae ad haec uteri mala disponuntur, non raro metrorrhagia laborant.

§. 1001. Caussa proxima metrorrhagiae primariae eadem est, ac reliquarum haemorrhagiarum; nam aut in aucta vasorum universalis systematis, illiusque uteri

actione, aut in imminuta, aut in ruptura vasorum uteri reperitur. Praedisponentes caussae sunt temperamentum plethoricum, aut debile; diversum vitae genus; quarundam artium exercitatio; et talis institutio, quae mulieres delicatiores, sensibilioresque reddat. Caussae occasionales sunt quae aut vasorum, praesertim uteri, motum augent, unde major sanguinis quantitas ad eum impellitur; aut vasa ipsa debilitant; ut animi pathemata modo incitantia, modo deprimentia; victus aut nimis lautus, aut nimis parcus, aut pravus; potiones spirituosae, et calidae; immoderata corporis exercitatio, aut ignavia; abusus veneris, et balneorum calidorum; cubicula nimis calida; refrigerati et madefacti pedes; ictus in abdomen, contusiones, lapsus; etc. Variae autem sunt caussae remotae, quae ad diversas metrorrhagiae species pertinent. Metrorrhagia menstrua saepe producitur a sedentaria vita, vel ab immodicis exercitationibus corporis; frequenti et violento concubitu, et mastrupatione; animi commotionibus; vini, spirituum, potionum calidarum maxime profluen-

tibus menstruis, abusu; nimiis, aut paucis, aut parum nutrientibus alimentis; continuo aromatum usu; vestibus adstrictis; emeticis, drasticis; frequenti gestatione, partu difficili, repetito abortu; etc. Metrorrhagia gravidarum saepe oritur ab exuberantia sanguinis; ab omissa venae sectione; ab exquisita uteri sensilitate; ab incauto, et vehementi coitu; etc. Metrorrhagia parturientium nonnunquam evenit in plethoricis, aut in illis, quae gestationis tempore aptas neglexerunt sanguinis missiones; in debilibus, aut actis animi pathematibus, aut alios morbos perpessis, aut aetate provectis. Subinde caussa est uteri laesio, quae infertur a nisibus violentis et diuturnis, a transitu foetus magni capitis, ab ipsius extractione; ab imperitia aut pauca illorum diligentia, qui aliquam operationem instituunt. Plus semel hanc metrorrhagiam vidi in mulieribus, quae cum in utero gestarent, largioribus cibis vescebantur, et vino abutebantur. Rara etiam non est ubi aliqua adest humorum labes, potissimum scorbutica. Quae sint caussae internae metrorrhagiae jam

diximus. Illa autem puerperarum oritur a plethora, ab universa debilitate et partiali uri, ab affectionibus totius corporis et localibus uteri, ab effusis lochiis, a lautis dapibus, et vino, ab animi affectibus, a partu laborioso, secundinarum reliquiis uteri vasa irritantibus, a cubatione post partum cito relicta. Metrorrhagia provectarum a generalibus haemorrhagiae caussis ortum habet; sed animadvertendum est, quod dum menstrua absistere solent, saepe per aliquot menses supprimuntur, postea magna redeunt profusione. Huic metrorrhagiae magis obnoxiae sunt, quae juvenili aetate abundantibus gaudebant catameniis; difficiles partus et abortus patiebantur; fluxibus albis laborabant; vino et spiritibus abutuntur; immodica et intempesta venere fruuntur; uteri atonia, aut aliqua hujus visceris affectione tenentur. Provecta enim aetate, saepe uterus in scirrhum, cancrum, ulcera, varices implicatur.

§. 1002. Ab examine caussarum, specierum, symptomatum educitur praesagium. Quapropter si metrorrhagia proficiscatur a

plethora, dummodo non sit effusa, periculo vacat; contra si ab atonia generali et partiali uteri, et nimia sit sanguinis jactura. Tamen sperandum est, si universali systemati, et utero restitui possit vigor, et profluvium nec sit tam exuberans, nec tam frequenter iteratum. Majus vel minus discrimen semper effusi sanguinis quantitas, et symptomata denotant. Si enim ingens et subitanea sit sanguinis proluvies, et adsint frigidi sudores, lipothymiae, convulsiones, magnum urget periculum; majus si mulier destituatur viribus, et debilitantibus caussis fuerit exposita; contra salutis ducimur spe, si mulier viribus et bona polleat temperie, desint gravia symptomata, nec tanta sit sanguinis profusio. Gravissima interdum evadunt symptomata, si metrorrhagia apta methodo non curetur, aut sibi ipsi relinquatur. Si profluvium sit lentum, non inducit, ut subitaneum, et uberrimum, imminens periculum, sed edit funesta mala, ut maxima virium dejectio, leucophlegmatia, fluxus albus, consumptio, etc. Mulieres mediae aetatis facilius perferunt metrorrhagiam quam

juniores, aut provectiores. Dum est menstrua, et effusa, praeter periculum, quod afferunt immodica sanguinis profluvia, mulieres reddit ad generationem impotentes, et ubi concipiant, eas ad abortum disponit. In quibusdam foeminis caussae etsi leves hoc profluvium producunt. Interdum in gravidis plethoricis contingit metrorrhagia sine periculo, et abortus timore; tum non adsunt dolores nec alia symptomata, nec os uteri aperitur. Ex adverso si sanguis cum impetu erumpat, si torqueant dolores, et sub lumborum et uteri doloribus ejus os dilatetur. Vitam autem matris et prolis interminatur metrorrhagia, quae nascitur a praematura separatione placentae ab utero, ut ostendunt symptomata, quae inde manant. In parturientibus timorem non injicit, si veniat a plethora, nec sit exuberans; contra si a gravi uteri laesione, et nimis effusa, quae interdum lethalis est. In puerperis saepe periculosissima est sanguinis proluvies post partum, praecipue quae pendet a maxima uteri atonia; et interdum exitiosa, ut symptomata patefaciunt, quae sunt

summa debilitas, extremitatum frigus, faciei pallor, sudor frigidus, pulsus exilis intermittens, maxima anxietas, obscuratio visus, aurium tinnitus, convulsiones, tendinum subsultus. Mortalis etiam est metrorrhagia interna, quae oritur ab uteri ruptura; et alea plena, quae ab aliis caussis, ut a gravibus symptomatibus deprehenditur, ut sunt respirandi difficultas, vertigines, aurium tinnitus, lipothymiae, convulsiones, etc. Quae contingit aetate provectis est plus vel minus timenda; sed si diu procedat, laedit corporis nutritionem, aliasque functiones, et frequenter excipit leucophlegmatia, hydrops, et nonnunquam mors. Tandem metrorrhagiae symptomaticae discrimen, quae quavis aetate, etiam infantili obvenit, a natura primarii morbi cognoscitur. Itaque si cohibetur haemorrhoidalis fluxus, venae circa uteri collum, et vaginam tumefiunt, varicosae evadunt, et sanguinem profundunt. Haec metrorrhagia facile cessat, dum redit haemorrhoidum fluxus; qui etsi non redeat, et illa non cesset, periculosa non est, siquidem gerit haemorrhoidum vices.

Sic metum non facit, quae nascitur per consensum, dum scilicet adsunt gastricae impuritates vel biliosae vel verminosae. Contra gravissima est in febribus et exanthematibus malignis, et in febribus inflammatoriis, si excedens. Insanabilis, quae ab uteri cancro, vel ulcere maligno promanat.

§. 1003. Si metrorrhagia primaria curanda est, observandum in primis, an activa vel passiva sit. Prima quae distinguitur a robusto et plethorico temperamento, aliisque jam expositis signis, sanguinis missiones et antiphlogisticam methodum postulat. Expediunt igitur quae leniter alvum movent, potiones refrigerantes, parca diaeta. Praeterea removendum quidquid excitat; aegra in lecto minus molli decumbat, levioribusque stragulis tegatur; aërem purum et temperatum hauriat; servetur animi et corporis quies; et ne in intestinis congerantur excrementa, clysmata ex aqua frigida sunt injicienda. Hac ratione inter initia hujusmodi metrorrhagia curetur; secus persisteret, et virium debilitatem induceret, quae ad metrorrhagiam naturae oppositae disponit. Si

autem passiva sit, quae a signis atoniae universalis et partialis uteri cognoscitur, statim aegra supina acquiescat lecto; victus sit levis, digestu facilis, nutriens; remedia interna et externa sint adstringentia, tonica, sedantia. Interna, quae adhiberi solent sunt decoctio corticis peruviani, ejusque extractum, ut et illud radicis quassiae simarubae, corticis cascarillae; conserva rosarum; aethiops vegetabilis; alumen; kino; catechu; sanguis draconis; bolus armena; opium, quod parvis dosibus cum adstringentibus immiscetur, et mirifice juvat, cum spasmodici uteri dolores excrucient. Exterius autem applicantur lintea madida vel aqua gelida simplici, vel aceto mixta, scilicet lumbis, pudendis, internis lateribus coxarum, quae quidem aliis externis remediis praefero. Dum autem hisce resistit morbus, fieri solent injectiones adstringentes in uterum ex decoctionibus quercus, ex aliqua aqua stillatitia cum sulphate zinci, aut alumine. Sed hujusmodi injectiones caute adhibeantur, secus maxime nocent; nam ab earum actione subito coercetur sanguinis flu-

xus, et ad scirrhosas duritias paratur uterus, ut pluries vidimus. Fiunt etiam injectiones ex opio; sed quia exstimulare possunt uterum, interdum nocuae sunt. Providenter igitur quoad injectiones procedendum est. Cum autem affluat profusio sanguinis, corpus pallescat, et lipothymiae contingant, sollicite interno usu adstringentium, potionibus gelidissimis, acidis; et externa applicatione glaciei, aut frigidis affusionibus, et ad os uteri turundae immissione est refraenanda. Hujusce praeterea haemorrhagiae regressus roborantibus, adstringentibus, et martialibus praecavetur. Nonnulli pro metrorrhagia passiva laudarunt emetica, etsi non adsint gastricae suburrae; sed vomitus augere potius posse, quam imminuere cruentum uteri profluvium mihi videtur. Emeticorum actionem suspectam habuit P. Franch; sed illorum admisit refractas doses, crediditque hypecacuanae radicem ad unum vel alterum granum ter aut quater in die porrectam prodesse. Effectus autem exiguarum dosium emeticorum inquit esse majores, si conjungantur opio, ut prosperae curationes

confirmant pulvere Doweri institutae. Verum quamvis id probabile sit, tamen inter omnia, exposita eminent remedia. Pro curatione metrorrhagiae menstruae generalia teneantur praecepta. Idcirco si activa sit a plethora producta, et pulsus sit plenus, magnus, venae sectio, potiones frigidae, et acidae, quies animi et corporis, applicatio linteorum aqua frigida et aceto madidorum expediunt. Haec metrorrhagia sanguinis missionibus et regulis diaeteticis praecaveri potest. Sic passiva supra exposita methodo curatur. Hujus autem ut evitetur regressus, inter unam et alteram menstruorum periodum usurpentur tonica, ut cortex peruvianus, martialia, semicupia frigida, modica corporis exercitatio, diaeta nutriens, vinum, aquae minerales, ferrugineae, quae in laxitatem, et atoniam uteri efficacissime pollent. Ast nec aquae minerales, nec stimulantia vocentur in usum, si adsit uteri irritatio, dolores lumborum molestent, et aliquis motus febrilis deprehendatur. Si autem in caussa sit nimia sensibilitas, aut aliquod animi pathema, ut terror, praeter quae cur-

sum sanguinis coercent, antispasmodica praestant, ut nervosi systematis commotiones sedentur. Curatio metrorrhagiae gravidarum secundum varias caussas, multiplicesque casus discrepat. Si consuetis auxiliis sisti non possit, quodcunque sit gestationis tempus, foetum et placentam educere necesse est, ut contrahatur uterus, et orificia vasorum claudantur. Si versus gestationis finem placenta nimis cito refigatur ab utero, confestim membranae foetum involventes pertundantur, et hic abducatur. Si hoc tempore contingat metrorrhagia non affluens, nec uterus hiet, secetur vena, concedantur panca alimenta, quae sustineant vires, quies non turbetur, cubet mulier, et injiciantur clysmata, ut alvus exoneretur. Si contra sit immodica, et hisce non reprimatur auxiliis, cogit necessitas ciere partum, sed caute. Digitis immissis, et diductis intra uteri orificium excitanda sunt languentia tormina; sed hoc opus identidem remittatur, et naturae conatus expectentur, ut absolvatur partus, quin extrahatur foetus. Hoc modo citius retinetur profluvium, quam si iste educeretur. Etenim

dum per naturae nisus expromitur foetus, constringitur uterus, quod non evenit dum ille arte eripitur, aut dum digitis rumpuntur membranae. Producitur etiam metrorrhagia ab abortu, a placenta post abortum in utero haerente, aut a falso germine expulsioni proximo. Cum placenta aut natura aut arte elicitur, sanguinis sistit profluvium. Ast interdum post abortum ob funiculi debilitatem, et uteri orificii angustiam abstrahi non potest placenta, quae in utero linquenda ubi putrescat, et frustillatim discedat. Quandoque a falso germine uberrima est metrorrhagia, sed raro lethalis. Si illud attingi possit, educatur; secus linquatur, et apta diaeta fulciantur vires. A pluribus caussis nascitur, ut diximus, metrorrhagia puerperarum; nimirum ant quia mulier est nimis plethorica, aut nimis debilis; aut partus ob foetus magnitudinem fuit laboriosus; aut conatus vehementissimi; aut frustula placentae manserunt in utero. Haec metrorrhagia aliquandiu remittitur, siquidem sanguis coagulatur in utero, et hinc solum affluit serum. Sed ad detrudendos grumos asperiora susci-

tantur tormina, et dum hi expelluntur, denuo delabitur sanguis. Si hoc profluvium exuberet, elidatque vires, imminet periculum. Ubi pendeat a frustulis placentae in utero haerentibus, haec sunt extrahenda. Victus sit tenuis, supina recubet aegra; evitetur lumborum calor. Si pulsus sit fortis, aperiatur vena, dentur emulsiones et potiones subacidae, lumbis admoveantur lintea ex aqua frigida et aceto madefacta, et ad egerendas foeces immittantur clysmata; et ubi perseveret profluvium, suppeditentur potiones adstringentes, et prudenter injectiones etiam adstringentes fiant. Si caussa sit debilitas universalis et partialis uteri, curatio eadem est ac pro metrorrhagia passiva. Sub effraena sanguinis profusione in vaginam et uterum post partum apertum frigida simplex, aut cum aceto, aut alumine, aut vitriolo albo immittatur. Hoc modo constringitur uterus, formatur sanguinis coagulatio profusioni resistens. In extremis autem casibus in vaginam et uterum, si pateat, intrudatur pessarium, uimirum contortum linteum aceto, aut solutione aluminis vel vitrioli mar-

tis perfusum; quamvis lacessere potest uterum, aliosque excitare dolores; sed interdum novi dolores efficiunt ut stringatur uterus, comprimaturque profluvium. Dum pessarium non est tam ingens, facilius sustinetur, donec coeat sanguis in utero; hinc vel sponte secedit, vel caute extrahitur, quin renovetur profluvium. Curatio metrorrhagiae provectarum praeceptis generalibus absolvitur. Tandem si metrorrhagia symptomatica sit, secundum primarii morbi indolem componitur medela.

ORDO SECUNDUS

Profluvia serosa

GENUS PRIMUM

Ephidrosis

§. 1004. Ephidrosis, ἐφίδρωσις, est apud Hippocratem equivoca vox, ut Galenus in comm. ad Prorrh. admonet. Saepius tamen sudorem tenuem inutilem malum, aliquando commodum et criticum indicat. Attenta vero hujusce vocis compositione, quasi affluentem sudorem audit. Ast Nosologi illa non solum ad morbosum sudorem quoad quantitatem, sed etiam quoad qualitatem denotandum utuntur, sive hujusmodi sudor universalis, sive partialis sit. Sub hoc igitur sensu de hoc morbo loquamur. Perspiratio aut est insensibilis, scilicet vapor è superficie corporis exhalans, ab aëre dissolutus, oculosque fugiens; aut sensibilis seu

Digitized by Google

sudor, scilicet idem vapor sub forma liquida exsiliens. Sudor igitur ab insensibili perspiratione non differt; et ad producendum sudorem satis est, quod cutis majorem quantitatem materiei perspirabilis secernat, aut haec non dissolvatur ab aëre, ut evenit dum hic est humidus, parumve renovatus. Quantitas et qualitas materiei perspirabilis etiam integra valetudine per plurimas caussas admodum variat, nimirum per clima, temperamentum, sexum, aetatem, quietem, motum, animi pathemata, alimenta, et caeterarum secretionum conditionem. Nihilominus posteaquam suis experimentis statuerat Sanctorius, ex octo libris alimentorum solidorum et fluidorum, quae intra viginti quatuor horas sumuntur, quinque per perspirationem deperdi, plures physici perspirationis differentias ab expositis caussis productas, praecipue quoad copiam, tentarunt praefinire. Generatim materies perspirationis et sudoris est aquea, in qua dissolvuntur plura salia, decompositionis moleculae, et etiam acida; unde patet inter hanc et urinam multam adesse analogiam. Tamen circa

illius qualitatem magna est opinionum discrepantia. Alii admittunt gaz acidi carbonici exhalationem a cute, alii negant. Hodie creditur materies perspirationis ex aqua, pauca quantitate acidi acetici, hydrochloratum sodae et potassae, et minima phosphatis terrei et oxydi ferri componi. Verum iudubium est, quin etiam vigente valetudine alia immisceantur principia, ut ab ipso odore deducitur, interdum foetidissimo, quem in nonnullis hominibus, praesertim axillarum, et plantarum pedum emanat sudor. Si igitur in ipso salutis statu tanta est perspirationis varietas, necesse est statuere normam, ut distinguatur, cum illa morbosa sit. Haec consistit in detrimento, quod interdum saluti afferunt sudores. Hi itaque morbosi sunt, si noceant; non morbosi, si licet abundantes, aut a naturalibus qualitatibus deflectentes, non solum non officiant, sed etiam juvent, et conservationi sanitatis inserviant. Restricte igitur interpretandus ille Hippoc. aphorismus lib. IV. 38., qui sic se habet = Et ubi in corpore sudor est, illic morbum esse declarat. =

§. 1005. Ephidrosis est primaria, symptomatica, secundaria, critica, universalis, et partialis. Primaria autem est activa, quae nascitur ab augmento velocitatis sanguinis, et adaucto vitali vigore cutis; passiva ab atonia vasculorum, nervorum, et laxitate illius. Symptomatica frequentior est, quippe oritur a plurimis morbis, ut sunt febres, exanthemata, scorbutus, phthisis, etc. Secundaria contingit in convalescentia morborum. Critica dicitur, quae horum resolutioni famulatur. Ephidrosis sive primaria, sive symptomatica, esse potest vel universalis vel partialis, cujus exempla apud scriptores non pauca adinveniuntur.

§. 1006. Ephidrosis primaria activa cognoscitur a signis, quae adauctum cordis, vasorumque vigorem significant, et a caussarum stimulantium natura; passiva a virium debilitate, laxitate cutis, et actione caussarum deprimentium. Profusi sudores, maxime atonici, summam afferunt virium dejectionem, inappetentiam, et maciem. Ephidrosis symptomatica frequenter auget primarii morbi symptomata, a quo saepe recipit

nomen. Dicitur febrilis, quae in initio aut in progressu febrium comparet, et est inutilis aut damnosa; generalis aut partialis; calida aut frigida. Dicitur hectica, quae comitatur phthisin, et febrem hecticam; et sudores sunt universales et colliquativi, aut partiales colli capitis pectoris, praecipue noctu. Dicitur exanthematica, quae est variolarum, aliorumque exanthematum symptoma. Scorbutica, quae evenit in scorbuto. Saepe scorbutici sudoribus diffluunt, qui magis prosternunt vires, quosque excipit macies. Interdum ephidrosis est saburrarum gastricarum effectus, ut adnotat Sauvages, qui refert portentosam ephidrosim intra diem ad quadraginta libras assurgentem, a saburra verminosa productam, et Marteau de Grandvillers observatam. Critica ephidrosis, quae versus morborum finem supervenit, a levamine, et virium, quam affert, restauratione cognoscitur. Secundaria est sudatio atonica, quae in convalescentia gravium morborum locum habet. Si ephidrosis non in nimia sudorum profusione, sed in morbosis eorum qualitatibus consistat, ab hisce ipsis

detegitur, scilicet praeternaturali consistentia, odore, colore, sapore. Sudor enim interdum est tenuissimus, interdum viscosus, interdum arenosus, et salinus: aut insipidus, salsus, lacteus, melleus, oleagineus: aut specificum odorem diffundit, ut acidum in puerperis, lactantibus, infantibus, lac sugentibus, febre lactea, et verminosa laborantibus; in aliis allium, et caepas olentem; in aliis est urinosus, aut cadaveris odorem emittens: interdum est caeruleus, viridis, luteus, ater, ruber ut vinum, cruentus. Harum peccantium sudoris qualitatum non desiderantur exempla.

§. 1007. Caussa proxima ephidroseos primariae et activae est auctus cordis, vasorumque vigor; passivae est virium debilitas, cutis laxitas, redundantia seri. In quibusdam hominibus extat ad hunc morbum dispositio evidens, non raro haereditaria; nam aliqua accedente caussa, aut facile profunditur sudor, aut est foetidissimus, praecipue a nonnullis partibus emissus, aut a naturali consistentia alienus. Caussae occasionales plures sunt, scilicet quae cordis va-

sorumque motum adaugent, ut calor, potiones calidae et aromaticae, animi affectiones excitantes, remedia stimulantia et in cutem agentia, quae cutem laxam reddunt, ut abusus balneorum calidorum, nimiae vestes; pathemata, quae frangunt nervorum vim, ut terror; quae laticem serosum cumulant, ut potiones copiosae, aliarum secretionum imminutio, praesertim urinarum; quae perspirationis materiei alia principia adjungunt, illiusque qualitatem vitiant, ut quaedam alimenta, quorum principia fere immutata per vias perspirationis abeunt, quaedam potiones, et pharmaca, aliarum separationum suppressio; quae actionem suam non recta dirigunt in cutem, sed in viscera, quae cum ea consensum tenent, ut sunt gastricae sordes et vermes. Ephidrosis autem symptomatica producitur a morbis diversi generis. Saepe est effectus contagiorum, quae varias pariunt aegritudines ut illa febris sudatoriae, variolarum, exanthematis miliaris. Saepe etiam pendet ab internis spasmis; ab obstaculis, quae in suo itinere adinvenit sanguis; a doloribus, anxietatibus, lipothymiis,

ultima corporis et animae colluctatione. Sudores symptomatici non solum quoad copiam, sed etiam quoad qualitates peccant, ut in febribus malignis, phthisi, scorbuto, etc. Phthisici cum colliquativis et viscosis sudoribus principium saccharinum et nutriens perdunt, unde illorum dulcis sapor. Sudores in scorbuticis observati fuerunt sanguinei; siquidem dissolutus sanguis per secretionum organa excedit. Ubi lacteus aut mellitus manavit sudor, talis fuisse videtur per chylum una cum sanguine per cutis vasa circumactum. Ephidrosis secundaria a debilitate virium, et fracta nervorum vi proficiscitur. Tandem critica est effectus naturae conaminis, quae nititur per sudores resolvere morbos. Ad ejusmodi salutarem separationem disponitur cutis, quae mollis fit, ut et pulsus, qui mollis et undosus evadit.

§. 1008. Quo magis sudores a naturalibus desciscunt, et nocent, eo magis timenda quae a vitio secretionis cutaneae, et utilium humorum jactura promanant. Majorem autem timorem incutit passiva ephidrosis, potissimum ubi adest virium debili-

tas, et ad maciem dispositio. Excutiendae vero sunt caussae remotae, modo absconditae, modo evidentes. Hae enim vel facile amoveri possunt, ut abusus stimulantium, potionum calidarum et aromaticarum, balneorum calidorum, etc. et tum sanatio etiam sollicita obtineri potest; vel non sine negotio repelluntur, aut repelli nequeunt, ut perversus secretionum et excretionum ordo, vitia solidorum et fluidorum, circulationis impedimenta, et tum sanatio difficilis aut impossibilis est. Sudores vero etsi profusi et foetidissimi coercendi non sunt, si sanitatem non laedunt, sint aliarum secretionum vicarii, et ad hos comparata jam sit habitudo. A praepostera enim horum sudorum repressione maximum instaret periculum. De ephidrosi symptomatica perspecto primario morbo ominamur, cujus etiam ab ipsis sudoribus deducimus omen. Sudores ex. gr. profusi, colliquativi, viscosi febris haeticae vicinam indicant mortem: in aliis febribus lethales sunt sudores partiales, frigidi, viscosi, in guttas collecti, ut in capite et facie prope mortem observari solent. Si e-

phidrosis secundaria sit, est plus vel minus periculosa, secundum statum virium, et quantitatem sudoris. Tandem ephidrosis saepe est critica, et utilis. Inquit Hppocr. coac. praenot. IV. 36. 37. = Ἱδρὼς ἄριστος μὲν ὁ λύων τ' πυρετὸν ἐν ἡμέρῃ χρισίμῳ. χρήσιμος δὲ καὶ ὁ κυφίζων. Sudor optimus quidem, qui febrem solvit in die judicatorio, commodus autem qui levat = Hujusmodi sudores non solum non sunt reprimendi, sed omni cura auxiliandi.

§. 1009. Pro Primariae ephidroseos curatione necesse est, si fieri potest, remotas caussas arcere. Si sit activa, pernecesria est animi et corporis quies, usus acidorum vegetabilium, modica aëris temperies, purgationes, victus tenuis. Dum vero exstimulantes caussae jam phlogisticam dispositionem produxerint, convenit venae sectio. Si sit passiva, tonica et adstringentia sunt praecipienda, ut infusio frigida corticis peruviani, serum lactis aluminosum, aquae ferrugineae, balnea martialia, vel marina, vel decoctione corticis peruviani parata, frictiones cutis, unctiones oleosae et aromati-

cae, modica corporis exercitatio, victus nutriens, vinum. Juvabit etiam aliis secretionibus favere, maxime urinarum, praecipue si aquosi humoris redundantia in caussa sit. Pro ephidrosi secundaria requiritur quoque tonicum regimen; sed quae maxime conveniunt, sunt vinum generosum, victus nutriens, corporis exercitatio, ut deambulatio, equitatio, navigatio, aër liber, purus, campestris. Quae sint tandem in ephidrosin symptomaticam remedia, ex ipsa variorum morborum curatione liquet.

GENUS SECUNDUM

Epiphora.

§. 1010. Epiphora est morbosus lacrymarum effluxus in genas molestiam et deformitatem inducens. Hujusmodi vox ab ἐπιφορέω vel ἐπιφέρω deducta, lacrymationem cum impetu illatam indicare videtur. Plures recentiores distinguunt epiphoram a lacrymarum stillicidio, quippe illam in aucta

lacrymarum secretione per morbum glandulae lacrymalis; hoc in illarum absorptionis obstaculis reponunt. Plerique vero vel caussa sit aucta secretio, vel praepedita absorptio, semper morbosum lacrymarum profluvium epiphoram appellant, quoniam in utroque casu idem est morbi character. Humoris igitur lacrymalis fluxus nec a morbosa affectione glandulae lacrymalis, viarum lacrymalium, oculi, nec ab alio morbo proveniens, sed ab aliquo animi pathemate, vel a levi et fugaci stimulo, non constituit epiphoram, utpote nec morbosus, nec constans. Confundenda autem non est epiphora cum fistula lacrymali, in qua non purus lacrymalis humor, sed huic materia purulenta immixta profluit, quae ab ulcere sacci lacrymalis emanat.

§. 1011. In statu sano nec tam uber est lacrymarum secretio, nec oculi lacrymantes sunt. Lacrymae enim a glandula lacrymali secretae per excretorios ductus feruntur in oculum, quem irrorant, et ab extraneis corporibus expurgant; a punctis lacrymalibus absorbentur, et hinc per ductus, sac-

cum lacrymalem, et nasalem ductum transmittuntur ad nares. Praepeditur lacrymarum fluxus in genas a palpebrarum marginibus, a pauco sebo, quod a glandulis sebaceis in ipsis palpebrarum marginibus sitis, quae dicuntur glandulae Meibomii, et a lacrymali caruncula. Lacrymae humorem sistunt limpidum, inodorum, salsum, ex aqua, muco, pauca quantitate sodae salis marini phosphatum calcis et sodae compositum. Huic humori, qui proprie constituit lacrymas, ille componitur subtilis et insipidus humor ex oculis et palpebrarum supurficie emissus. A lacrymarum principiis efformantur calculi, qui praesertim in sacco lacrymali quandoque reperiuntur. Sed in statu morboso a glandula lacrymali potest majori copia lacrymalis humor secerni; hic etiam acrem naturam adipisci; aut hujus impediri per puncta lacrymalia absorptio, vel ad nares transmissio; et hinc uber et constans lacrymarum lapsus in genas oriri, quo continetur epiphorae character.

§. 1012. Epiphora est primaria, symptomatica, secuudaria. Prima rarior est au-

cta lacrymarum secretio a caussis orsa, quae directim in glandulam lacrymalem operantur. Altera omnibus frequentior est vel aucta humoris lacrymalis secretio ab aliis morbis producta, ut a diversis ophthalmiis; vel praepedita illius absorptio a morbis viarum lacrymalium, aliarumque partium oculi, et narium. Secundaria excipit morbos, ut saepe variolas, et ophthalmias. Plures Nosologi statuerunt epiphorae species, quae ut plurimum symptomaticae sunt, et a primario morbo recipiunt nomen; ut epiphora ex aegilope, ectropio, anchilope, etc. Sed inter omnes spectabiliores sunt quae frigida et calida vocantur. Prima est cum lacrymae fluunt sine pruritu, dolore, calore, saltem adnotabilibus et modo primaria, ut illa ab immodicis studiis, oculorum debilitate; modo secundaria, ut illa ab ophthalmiis relicta. Altera est cum lacrymae profluentes calorem mordacem, ruborem, et oculorum dolorem inducunt, saepe a diversis ophthalmiis profecta. Praeterea adnotanda est epiphora sanguinea et sebacea. Interdum enim observatae fue-

runt lacrymae sanguineae, cum scilicet menstrua fluxerunt ex oculis, ut apud Dodonaeum observ. cap. 15. Lud. Mercat. cap. 7. de mulier. morb. videre est. Subinde autem non purae, sed immixtae sebo delabuntur lacrymae, quod nimis copiose a sebaceis glandulis palpebrarum secernitur.

§. 1013. Propter rationem expositam recensenda non sunt inter caussas epiphorae animi pathemata, ut tristitia, misericordia, gaudium; nec quae brevem lacrymationem excitant, ut tussis, risus, sternutamenta, sed praeternaturalem et constantem, ut nimia studia, maxime provecta aetate, cum perstringuntur, et debilitantur oculi; humor lacrymalis acer; extranea corpora in oculos illapsa; morbosa eorum sensibilitas, unde vitiatur lacrymarum secretio, et quovis accedente stimulo glandula lacrymalis irritatur. Caussae vero epiphorae symptomaticae sunt morbi, qui, ut diximus, aut lacrymarum separationem adaugent, ut trichiasis, in qua pili percellunt, pungunt, et laedunt oculi globum; coryza; ophthalmiae venereae, scorbuticae,

scrophulosae, herpeticae, arthriticae: aut impediunt absorptionem, et cursum lacrymarum, ut obstructiones, corrosiones, aliaeque laesiones punctorum, ductuum, sacci lacrymalis, et nasalis ductus; anchilops, encanthis, pterygium, aut alter tumor ductus, et saccum lacrymalem comprimens; ectropium seu palpebrarum inversio, quae ab oculis removet puncta lacrymalia, unde ad suscipiendas lacrymas imparia fiunt; polypus nasi ductum nasalem premens. Etiam caussae epiphorae secundariae sunt alii morbi, ut praegressae ophthalmiae, quae, etsi penitus sanatae, eam producunt propter debilitatem, et morbosam quam linquunt oculorum sensibilitatem; variolae, ex quibus non raro fistula lacrymalis progignitur, aut ductus nasalis coalescit, vel obstruitur.

§. 1014. Epiphora primaria deprehenditur, dum copiosae lacrymae delabuntur, oculos inundant, unde per morbosam refractionem lucis, quae in pupillam penetrat, alteratur visus; dum nullus extat viarum lacrymalium morbus; dum puncta lacrymalia contrahuntur applicatione stimuli. Sym-

ptomatica cognoscitur a praesentia alterius morbi, ejusque signis. Quapropter si epiphora sit arthritica, dum per arthriticum humorem in oculos translatum fluunt lacrymae in genas exuberantes et acres, torquent eodem tempore arthritici dolores; si sit venerea, scrophulosa, scorbutica, harum diathesium non deficiunt symptomata. Si a morbis viarum lacrymalium, oculi, et narium impediatur absorptio, et cursus lacrymarum; hujusmodi epiphora distinguitur ab ipsis morbis saepe evidentibus, a lacrymis mediocri quantitate defluentibus in genas, a siccitate naricis, quae lateri affecto respondet. Interterdum hiant lacrymalia puncta, nec stimulis applicitis contrahuntur; interdum glutinantur, aut alio modo laeduntur. Si obstructus sit nasalis ductus, aut a polypo nasi compressus, patula sunt puncta lacrymalia, lacrymae feruntur in saccum ubi colliguntur, qui tumescit distenditurque, et hernia lacrymalis constituitur. Si saccus digitis prematur, non per nasalem ductum, sed per puncta lacrymalia exeunt lacrymae; proindeque aut penitus aut multum ille detume-

scit. Cum autem in caussa sit fistula lacrymalis, si comprimatur saccus, prodit purulenta materies. Si tandem ab ectropio, encanthide, aliisque vitiis evidentibus gignatur epiphora, expedite cognoscitur.

§. 1015. Sive primaria, sive symptomatica, sive secundaria sit epiphora, ejus omen ab examine caussarum elicitur. Etenim si primaria, et a morbosa nascatur sensibilitate, opportuno oculorum regimine, et curatione, tractu temporis evanescit; si ab immoderatis studiis, oculorum debilitate, potissimum ingravescente aetate, aegre curatur, licet imminui potest morbus, si amoveatur caussa, et conveniens diaetae ratio et medela adhibeatur. Sic si symptomatica, perpendendum est an primarius morbus sanabilis sit vel insanabilis. Si ex. gr. lacrymalia puncta sint penitus glutinata, ut a cicatrice vulneribus vel ustionibus relicta, nullo fere superest sanationis spes; rursus si a simplici et tenui pellicula claudantur punctorum oscula, facilis sane erit curatio. Si ductus lacrymalis obstruitur, et obstructio sit recens, nec adeo dura materies ob-

struens, curari potest epiphora; sed si hujusmodi vitium nec resolventibus, nec Anelii methodo auferri possit, in fistulam lacrymalem facile degenerat. Si deficiat lacrymalis caruncula, impossibilis est sanatio. Si secundaria, etiam observanda est praegressi morbi natura. Si ex. gr. ab ophthalmiis per inductam morbosam sensibilitatem, et maximam oculorum debilitatem relinquatur, difficilis est curatio; si vero a variolis infantili aetate, hac crescente, saepe omnino evanescit. Invita lacrymatio in febribus acutis crebro superveniens, quae ut epiphora symptomatica habetur, ad earum prognosin statuendam maxime conducit, ut alibi diximus. Est mali ominis dum pessima accedunt signa, et mortem ipsam praenuntiat; dum vero haec desunt signa, imminentem indicat haemorrhagiam, ut hisce verbis docet Hippocr. Epidem. I. 176. 177. = *οισιν ἐν πυρετοῖσιν ὀξέσι μᾶλλον καυσώδεσιν, ἀκούσια δάκρυα παραῤῥεῖ τουτέοισιν ἀπὸ ῥινῶν αἱμοῤῥαγιην προσδέχεσται, ἠν' μὴ καὶ τἆλλα ὀλεθρίως*

ἔχωσιν. ἐπὶ τοῖσι γεφλαῦρως ἔχουσιν οὐχ αἱμοῤῥαγίην, ἀλλα θάνατον σημαίνει. Quibus in febribus acutis, magis ardentibus, invitae lacrymae defluunt, his a naribus haemorrhagiam expectare oportet, nisi etiam alia perniciose habeant. Etenim his, qui male habent, non saguinis eruptionem, sed mortem significant. =

§. 1016. Etiam pro curatione faciunda cognoscere est, quae sit morbi caussa. Si epiphora primaria a morbosa sensibilitate oriatur, frictiones ad supercilia ex laudano liquido Sydenhami, tinctura opii, liquore anodyno minerali Hoffmanni auxilio sunt; ita juvat oculis admovere lintea madida ex aqua plantaginis cum paucis guttis laudani liquidi, ut in eos penetret; aut aliquam guttam tincturae thebaicae in oculos indere. Etiam ubi oculi nimia debilitate et sensibilitate afficiantur, utilia sunt collyria ex aqua plantaginis, vel rosarum cum laudano liquido; aut extractum saturni cum opio. Si in caussa sint corpora extranea, haec extrahantur; et sub irritatione oculorum diligenter se abstineant aegri

a vino, cibis salsis et irritantibus, lectura et studiis. Si qua materies acris et exstimulans irritet oculos, praesertim expediunt purgationes, vesicantia nuchae aut temporum regioni applicita. Sic si epiphora sit symptomatica, pro natura primarii morbi variant auxilia. Quapropter si sit arthritica, convenit venae sectio, vesicans nuchae, mitissima collyria ex aqua plantaginis, rosarum, et etiam lac oculis instillandum. Si illa sit quae dicitur calida, et quae comitari solet ophthalmias, expedit sanguinis missio, purgatio, balnea, edulcorantia, ut serum lactis, refrigerantia juscula, et deinde collyria leviter adstringentia ex aqua rosarum et vitriolo. Si sebacea, a qua saepe stipatur humida ophthalmia, curatur remediis detergentibus, parumque adstringentibus, ut aqua plantaginis et vitriolo vel albo vel viridi. Epiphorae autem a morbis localibus profectae curatio ex praeceptis chirurgicis hauriatur. Secundaria denique secundum anteacti morbi naturam, et reliquias ab eo relictas in oculo curatur. Si ex. gr. sit quae dicitur

frigida, et diuturnas excipit ophthalmias, juvant praesertim collyria leviter tonica, et adstringentia, aptum diaetae regimen, et interdum etiam purgationes, et vesicans nuchae appositum: si sequatur herpetes, et lacrymae sint irritantes et acres, conferunt purgationes, absorbentia, edulcorantia, vesicantia, lac in oculos inditum, collyria ex aqua florum sambuci; aegri autem nec sumant acria et irritantia alimenta, nec vinum hauriant.

GENUS TERTIUM

Ptyalismus.

§. 1017. Ptyalismus πτυαλισμὸς πτυελισμὸς est crebra sputi ejectio. Persaepe hoc vocabulo usus est Hippocrates ut et verbo πτυελίζειν. Quod diximus de epiphora, etiam de ptyalismo dicendum est, scilicet brevem salivae effluxum a caussis accidentalibus et fugacibus productum, ut nausea, assumpti emetici actione, etc. hunc morbum

non constituere, sed solum humoris salivavalis jacturam plus minusve durabilem, a caussis morbosis ortam, propriisque symptomatibus stipatam. Et ut epiphora modo adaucta lacrymarum secretione, modo praepedita earum absorptione continetur, sic ptyalismus nunc in majore secretione salivae, nunc in impedimento eam in ore retinendi consistit, ut in labiorum laxitate, genarum faucium pharyngis paralysi. In statu salutis saliva est humor aqueus, limpidus, aliquantum viscosus et salsus, a glandulis parotidibus maxillaribus et sublingualibus secretus, quarum excretorii ductus aperiuntur in ore. Cum ab arteriis separatur est tenuissimus latex, sed ob moram intra cavitatem oris, et mixtionem cum muco, aliquantum viscosus evadit. Extra masticationem est parum notabilis salivae secretio, quae vero sub illa amplior fit, cum excretorii ductus et glandulae salivales ab alimentis exstimulantur. Siquidem per superficiem et substantiam glandularum salivalium multa vasa ab arteriis carotidibus externis, maxillaribus, et lingualibus, pluresque nervi a portione dura septimi paris,

et nervo linguali quinti paris diffunduntur, nullo negotio intelligitur, quare illae tam prompte excitentur a stimulis, et magnam salivae quantitatem secernant, etiam simplici voluntatis imperio. Saliva miscetur muco a glandulis lingualibus, palatinis, labialibus, molaribus largiter secreto, nec non subtili humori, qui ab arteriis per oris cavum dispersis emittitur. Raro accidit quod a propriis glandulis non secernatur saliva; nec tam facile ejus scaturigo, ut illa muci et alterius humoris subtilis, exsiccatur. Idcirco si os interdum arescit, ut saepe in febribus usuvenit, id non tam a salivae defectu, quam ab avida hujus absorptione deducendum est. Adeo est saliva, ejusque usus aspectabilis, ut si extra modum profundatur, cito langueat alimentorum digestio, labefactentur vires, subsequaturque macies. Si autem hujusce humoris considerentur principia, ratio in promptu est cur interdum calculi aut sub lingua, aut in salivali ductu quandoque efformentur. In statu vero morboso a diversis caussis, plurimisque morbis salivae secretio et excretio immodice augetur, ejus-

que alterantur principia. Quapropter modo dulcis et mellea, modo salsa, modo acida est, et interdum etiam urinosam patefacit naturam.

§. 1018. Tribuitur ptyalismus in primarium, symptomaticum, criticum, periodicum, traumaticum. Provenit primarius a caussis in glandulas salivales recta agentibus; symptomaticus ab aliis morbis; criticus febrium, aliarumque aegritudinum constituit crisin; periodicus regreditur determinatis periodis, ut in accessionibus hystericis, et primis in quibusdam puellis purgationum recursibus; traumaticus ab externis laesionibus proficiscitur, circa quem versatur chirurgia. Rarior est ptyalismus primarius, frequentior symptomaticus, cujus Nosologi multiplicarunt species, ut sunt ptyalismus hypochondriacus, hystericus, febrilis, catarrhalis, variolosus, aphthosus, scorbuticus, phthisicus, etc. Inter ptyalismi species adnumeratur etiam epidemicus, qui vero ad symptomaticum pertinere videtur. Inutilis est divisio in spontaneum et artificialem, ut est ptyalismus in curatione syphilidis a mercurio excitatus.

§. 1019. Aut primarius aut symptomaticus pthyalismus semper agnoscitur a saliva, quae oris cavum inundat, maximoque fastidio et foeditate e labiis praecipue loquendo et dormiendo delabitur. Interdum evenit quod somno saliva in laryngem irruit, unde suffocationis periculum imminet. Quocirca aegrotantes timore perculsi orbantur quiete; hinc per nimiam salivae jacturam, et somni privationem, crescit virium debilitas, et digestionis laesio. Saliva autem ut diximus aut est nimis viscosa, aut irritans, aut aquea, pellucida, insipida, aut acida, etc. Est viscosa dum caussa est foliorum tabaci, vel alterius acris substantiae suctio; nam dum glandulae salivales exstimulentur, etiam ad majorem actionem vasa absorbentia incitantur, quae majore aviditate liquidiores salivae partes attrahunt. Est irritans dum aliquod vitium acquirit, unde inflammat cavitatem oris, producit ulcera, et interdum dolorem et tumorem glandularum maxillarium et parotidum. Est aquea, pellucida, insipida, cum vasa lymphatica ob aliquam rationem partes salivae liquidiores hau-

rire desinunt. Haec a Darwin appellatur lymphatica, quam a retrogrado vasorum lymphaticorum motu productam arbitratur. Juxta autem morbi caussas saliva ut et ptyalismi symptomata differunt. Etenim si caussa est gastrica illuvies, cum nausea et angore ventriculi exuberans profunditur saliva: si pyrosis, ustionis et mordacis aciditatis sensus, qui a ventriculo extenditur ad os, molestissima regionis epigastricae constrictio cum maxima anxietate torquet; accedunt eructationes, et inde magna salivae quantitas emittur modo acidae, modo insipidae; et tam copiosa est saliva, ut a ventriculo suppeditari videatur, sed reapse non est nisi salivalis humor: si partium facici laxitas, ut labiorum, mandibulae, continue ex ore profluit saliva, ut in stupidis et paralyticis, qui labia laxa et pendula tenent. Interdum purulenta materies immiscetur salivae, cum nempe ab apertis in oris cavum et cariosis maxillaribus sinibus spargitur saniosum pus. Dum autem adhibentur mercurialia, saepe supervenit oris calor; glandulae salivales tument; comparent ulcera; saliva foetet;

et cum actio mercurii vehementior est, lingua et fauces inflammantur, excitaturque febris. Ptyalismus ab hydrargyrosi differt a syphilitico, utpote non a mercurio, sed ab ipsa venerea lue proficiscitur, in quo ulcera fauces, uvulam, et velum palatinum invadunt. Si ptyalismus scaturiat a scorbuto, nunquam hujus desunt symptomata, ut sanguis a tumentibus mollibusque gingivis erumpens, teter odor, faciei pallor, dentes qui vacillant et decidunt, aliaque plura. Quaecunque vero sit caussa, cum diu effunditur saliva, alvus fit dura, digestio languet, secretiones minuuntur, vires eliduntur, sequiturque macies. In phthisicis vero, cum ultimo morbi gradu maxima est humorum colliquatio, etsi nimia projiciatur saliva, colliquativi et profusi sudores haud imminuuntur.

§. 1020. Caussae ptyalismi non sunt quae breve salivae augmentum excitant, ut odor jucundi ferculi, memoria suavis percepti saporis, aut gravis putridarum exhalationum odor, etc; sed quae directe et constanter operantur in glandulas salivales, aut

in partes, quae cum ipsis consensum habent, ut sunt ventriculus, intestina, genitalia; plures morbi, qui aut symptomaticam et copiosam salivae separationem commovent, aut impediunt quominus saliva retineri possit in ore; externae laesiones. Plurimae ergo esse possunt ptyalismi caussae, ut mercurius interius et exterius adhibitus; suctio, et fumus tabaci, vel alterius substantiae; contagia plurium morborum; calculi, qui vel in ductu salivae, vel sub lingua efformantur; saburrae, aciditates, vermes ventriculi et intestinorum; cardialgia, colici dolores, affectio hypochondriaca et hysterica, exulceratio gingivarum, inflammationes faucium linguae ventriculi, arthritis, variolae confluentes, aphthae deciduae, convulsiones, scorbutus, syphilis, phthisis, suppressio menstruorum, insensibilis perspiratio cohibita, imminuta urinarum secretio, difficilis dentitio, dentium caries, compressio glandularum salivalium per musculorum actionem, fractura mandibulae, laxitas labiorum, paralysis genarum faucium pharyngis, etc. Darwin observavit ptyalismum ab ex-

traneo corpore in aure excitatum. Praeterea inter caussas recenseri debet prava consuetudo ejiciendi sputa absque necessitate, per quam glandulae salivales ad exuberantem salivae separationem disponuntur; interdum voluntas. In nosocomio dementium curavi nobilem mulierem melancholia detentam, quae ob praeconceptam opinionem circa necessitatem saepe emittendi sputa, sibi comparavit insanabilem ptyalismum, quo post aliquot menses consumpta periit.

§. 1021. A caussis ptyalismi habetur praesagium. Est itaque sanabilis, si ejus caussae removeri possunt, ut foeda foliorum tabaci suctio, et caeteri stimuli glandulis salivalibus voluntario admoti; contra insanabilis, si caussae auferri nequeunt, aut vehementiores sunt. Ptyalismus ex. gr. ab usu mercurii tam est interdum profusus, ut cito extrema debilitas, et consumptio consequatur. Sic dicendum est de ptyalismo symptomatico. Etenim si nascatur a gastricis saburris, hisce subductis, facile vincitur; ut si a calculis, hisce extractis: si contra superveniat in ultimo phthisis gradu accelerat

aut subigat. Quapropter si adhibeatur mercurius, non omittatur modus, quo removetur ejus consuetus effectus, nempe ptyalismus, ut diaeta lactea, balnea, atmosphe-rae tepor; sed quamvis hoc fiat, tamen excitatur interdum uberrima salivatio. Tum usus mercurii est protinus relinquendus donec ptyalismus desinat; et saepe necesse est decoctione hordei et lacte os abluere, et levia exhibere purgantia. Si autem non modo nimia sit salivae profusio, sed etiam lingua et fauces inflammentur, et compareant ulcera, sanguinis missio, emollientia gargarismata, purgationes, balnea, et quae ulcera detergunt adhibeantur. Si glandulis salivalibus admoti stimuli immodicam salivationem producant, et etiam glandulas ipsas tam irritent, ut doleant et tumeant, statim stimuli sunt amovendi, os hordei decoctionibus abluendum, exterius fomenta, et cataplasmata emollientia apponenda, leves purgationes haud negligendae. Si vero phtyalismus diuturnus fiat, nec consuetis auxiliis superetur, levibus diaphoreticis insensibilis perspiratio promoveatur, repetantur purga-

tiones, praecipiantur balnea, adstringentia gargarismata ex simplici decoctione corticis quercus vel cum alumine, et nuchae vesicans. Si ptyalismus oriatur a morbosa habitudine, et debilitate glandularum salivalium, nil sane conducibilius, quam os colluere simplici et calido vino, cum aqua plantaginis et salviae. Si sit scorbuticus, praeter remedia interna antiscorbutica, juvant purgantia mitia; levia diaphoretica, ut flores sulphuris, ut et diuretica; sinapismata utpote revellentia suris applicita; adstringentia gargarismata ex decoctione corticis quercus, gummi arabico, alumine: si syphiliticus, decoctiones antivenereae, lac; ulcera sunt detergenda, et bis in die penicilli ope vel cum aqua aluminosa Fallopii, quae praeter alumen mercurio sublimato componitur, vel liquore cathaeretico tangenda. In venereum ptyalismum hydrargyrosin proponere non ausim, licet nonnulli secus opinantur. Si continua salivatio pendeat ab extraneis corporibus, haec sunt educenda. Si contingat in gravidis, varia esse possunt auxilia pro diversis circumstantiis,

et urgentibus symptomatis, ut sunt cardialgia, nausea, alvi compressio, stomachi debilitas, etc. Hinc sanguinis missio, eccoprotica, clysteres, levia diaphoretica, roborantia, sedantia possunt expedire. Denique si ptyalismus sit criticus, cavendum est ne incaute sanguinis missionibus, aut purgantibus, aut nimis calido regimine, aut refrigerantibus potionibus supprimatur. Hic potius est adjuvandus nec nimis refrigerantibus nec nimis calefacientibus haustibus, convenienti victu, et studio ne salutaris naturae motus perturbetur.

GENUS QUARTUM

Diabetes.

§. 1023. Diabetes est urinae profluvium vel in quantitate peccantis, et plus minusve a naturalibus qualitatibus abeuntis, vel materie saccharina repletae. Hoc graecum nomen celerem per renes potionum transitum significat, a verbo διαβαίνω per-

transeo deductum. Ab hoc intelligitur quod veteres immutatas potiones transilire putabant, ut aqua per siphonem, qui a mechanicis appellatur διαβήτης. Galenus in suis libris hanc feralem morbum vocat diarrhoeam urinosam, diarrhoeam in urina, hydropem ad matulam; quae nomina continuum, et uberem urinae fluxum indicant; ut et dipsacum ob multam quam infert sitim. Etiam recentiores varia indiderunt nomina. Plures enim dixerunt diabetem lienteriam renalem, cum exuberans urinae excretio celerrime sequitur glutitos haustus; Alibert polyuriam; Nicolas et Gueudeville phthisiuriam, ob relationem, quam inter diabetem et pulmonum consumptionem adesse judicant. Diabetes non est apud nos familiaris, licet P. Franch ubique locorum frequentiorem, quam vulgo creditur, arbitratur; siquidem etiam atque etiam illum observavit. Si vero exiguus numerus observationum veterum consideretur, rarior fuisse priscis temporibus videtur. Et re quidem vera bis tantum a Galeno fuit visus. Nihilotamenminus fuit a veteribus, maxime ab Aretaeo, accuratissime exaratus.

§. 1024. Si spectetur praecipuus diabetis character, nempe urinae profluvium modo insipidae, modo dulcis, quippe materia saccharina refertae, quae principium nutritionis constituit, et praecipua symptomata, ut sitis inexplebilis, appetitus vorax, cutis ariditas, macies progrediens, frequentia pulsus, calor parum auctus, tandem febris lenta, diabetem esse corporis colliquationem per urinam deprehenditur. Hinc Aretaeus hunc definivit σαρκῶν καὶ μελέων ἐς ὄρον σύντηξιν, carnium et membrorum in urinam colliquationem. Tamen a veri diabetis characteribus non bene perpensis, et a confictis caussis plures hujusce morbi constitutae fuerunt divisiones, quae confusionem potius quam fructum pepererunt. Placuit Burserio cum Etmullero diabetem dividere in verum, spurium, chylosum. Primum vocat sollicitam potus per urinam transmissionem parum aut nihil mutati; alterum urinam potum excedentem; tertium, si cum urina, aut hujus loco redditur chylus. Verum omnes hae species ad verum diabetem pertinent, utpote characteribus eum constituentibus distinctae. Alii

ponunt duas diabetis species, unam scilicet, quae vocatur idiopathica, sive mellites, cum urina odorem, saporem, colorem mellis praesefert, et quae a Sauvages dicitur diabetes Anglicus, quippe Anglis familiaris; alteram, quae symptomatica nuncupatur, sive diabetes insipidus, cum urina limpida est, et minime dulcis. Haec etiam divisio erronea est; nam diabetes mellitus, et insipidus non offert nisi diversos gradus ejusdem morbi. Alii dividunt diabetem in primarium et symptomaticum. Existimant primum a morbosa renum actione proficisci; alterum ab aliis morbis, ut a febribus, affectionibus spasmodicis, etc. Sed praeter quam quod statui tuto non potest primarii diabetis origo, symptomaticus non ad verum, sed ad spurium spectat; siquidem deficiunt in ipso veri diabetis charactheres, ut sitis inextinguibilis et macies. Dividitur ab aliis in acutum, chronicum, periodicum, criticum, congenitum. Diabetes est morbus chronicus, tamen acuti et periodici extant exempla. Criticus spectat ad spurium; congenitus non est nisi magna urinarum quantitas, quae

redditur ab illis, qui parum perspirant, ut animadvertit P. Franch. Divisio igitur quae magis rationi et experientiae innixa videtur illa est, quae in verum et spurium; simplicem et complicatum distribuit diabetem. Verus, quaecumque sit urina, vel nimis abundans, vel insipida, vel mellita, inducit corporis maciem; spurius non stipatur characteribus veri, nec apportat maciem, ut ille, qui in diversis morbis observatur. Simplex propriis procedit symptomatibus; complicatus conjungitur cum aliis morbis, ut sunt inflammationes pectoris, ascites, urinae incontinentia, rhachitis, scrophulosa affectio, etc. Pro diversis autem urinae qualitatibus diabetes verus appellari potest insipidus, mellitus vel saccharinus, chylosus, mucosus. Est insipidus cum urinae sunt aqueae, sine sapore et odore; mellitus cum sunt dulces et odorae, ut mel, et ex quibus extrahitur substantia saccharo similis, acidum oxalicum abunde suppeditans; chylosus, qui etiam coeliacus, et lacteus vocatur, cum urinis miscetur chylus; mucosus cum mucus urinis mixtus depre-

henditur. Sed hujusmodi differentiae habendae non sunt ut diabetis species, sicut plures arbitrantur, sed ut diversi gradus, vel ut differentiae accidentales, quod infra demonstrabimus.

§. 1025. Quantitas urinarum in diabete admodum variat. Interdum est uberrima, et multum potiones excedit; interdum non superat consuetam copiam; interdum etiam hac minor est; sed quaevis sit urinarum vis, ratione harum qualitatis, semper diabetis perniciosi sunt effectus. Urinae modo sunt insipidae et aqueae; modo pallidae, turbidae; modo albae et sine odore; modo ut mel sapidae, colorae, odorae; modo lacteae, et spumosae. In hujusmodi morbosis urinis varia principia analysi reperta sunt; sed quaevis haec sint, semper diabetes est per urinam colliquatio, quae extremam corporis consumptionem invehit. Falsum est, potiones non mutatas trajicere per renes, ut sentiebant veteres; nam experientia demonstratur, semper aliquam elaborationis speciem urinas subivisse. Mulieri diabeticae, quae urinam insipidam, et purae aquae similem mingebat,

praebuit Alibert hauriendam aquam rubro colore per coccionellam suffectam, rosisque olentem; nihilominus urinam reddidit pellucidam et inodoram. Urina diabeticorum semper a naturali distat, variisque constat principiis. Jure creditur, Willis fuisse primus, qui dulces qualitates in urinis diabeticorum deprehenderit. Et quoniam in Anglia diabetes mellitus communior, fuit postea etiam ab aliis observatus. Hinc dixit Cullen, mellitum esse valde communem, rarum insipidum, quem semel tantum vidit. Materies autem saccharina, quam detegere inceperunt Willis, Pool, Obson, fuit anno 1778. a Cauley demonstrata, et anno 1791. a P. Franch, et deinde ab aliis medicis et chemicis confirmata. A viginti quatuor libris urinae viginti sex uncias materiae saccharinae P. Franch; alii etiam majorem quantitatem obtinuere. Ejusmodi materies ad puritatem, saporem, et colorem sacchari communis reduci potest, cujus singulis gaudet proprietatibus. Urinae autem in diabete mellito praeter saporem dulcem, et materiam saccharinam, odorem saepe violarum emit-

tunt. In hisce deest urea, et acidum uricum, et parum acidi phosphorici, et phosphatum continetur. In diabete insipido aut parum aut nihil materiae saccharinae includunt urinae. In diabete lacteo urinarum principia cum illis lactis conveniunt.

§. 1026. Ut plurimum diabetes propriis symptomatibus suum incipit diutinum cursum, quae sensim graviora fiunt; sed interdum quaedam prodroma signa praecedunt. Tum proclive non est eum cognoscere, etsi inter haec aliquod compareat characteristicum signum. Ut igitur ordine procedamus, a praecedentibus signis ordiamur, deinde ad constituentia, et tandem ad illa, quae interdum in observationem cadunt, descendamus. Inter prima est necessitas saepe mejendi; sitis plus vel minus molesta, quae paullatim augetur; urina cruda albida; internus calor; quaedam praecordiorum gravitas; frigoris sensus a renibus ad vesicam extensus; lassitudo et inertia. Horum augmentum clarius ostendit, explicaturum esse morbum; et haec eadem symptomata aliis composita, constituentia fiunt. Plerumque diabe-

tes lente progreditur ; diuque ejus symptomata non adeo gravia sunt : sed mox intensiora ; ad finem lethalia. Morbi ergo cursum in tres periodos dividimus. In prima os arescit ; augetur sitis ; saliva fit viscosa ; magis profunditur urina, praecipue post assumptas potiones, quoad colorem parum a naturali distans, sed est inodora, et insipida; adest debilitas, et ad motum, et exercitationem repugnantia. Dum haec symptomata sensim graviora fiunt, aliaque adnectuntur, incipit secunda periodus. In hac sitis est inexplebilis, quae tam noctu molestat, ut abrumpatur quies ; tument et dolent gingivae, halitus foetet ; vexat stomachi ardor, et acidi ructus emittuntur ; interni caloris sensus fit mordax, urens, molestissimus ; alvus est nimis adstricta ; urina potiones et alimenta solida longe superat, et modo est albida, modo sublutea cum sapore dulci, et abundanti et cineraceo sedimine ; appetitus est vorax, cutis arida, squamosa, furfuracea ; crescit debilitas, macies ; accedit lenta febris noctu exacerbans ; tumefiunt extremitates inferiores, et aegri tristitiae se tra-

dunt. In tertia denique periodo symptomata mortem proximam esse declarant, ut extrema macies; excavati oculi; pulsus maxime debiles, irregulares, intermittentes; urina decolora, cum qua aliquid pinguedinis confunditur; auctus extremitatum inferiorum, lumborum, abdominis tumor; alvus soluta; vox deficiens, aut rauca; deliria, tremores, convulsiones, et mors. Plurima autem sunt symptomata, quae aliquando in longo diabetis cursu observantur. Etenim dolent et inflammantur fauces; aphthae obsident linguam; urinae summo dolore redduntur ob vesicae spasmos; glans penis tumet et smegmati materies saccharina miscetur, quae ab urina deponitur; circa extremum urethrae orificium aliqua phlogosis. Praeterea quidam anorexiam, alii aquae horrorem, alii salivationem observarunt. Interdum urinae ad naturales accedunt, sed rursus ad qualitates morbosas et ad dulcedinem redeunt. Si forte contingat quod per aliquod tempus, quamvis breve, cesset immodicus urinae fluxus, lumbi, ilia, testes intumescunt. Quandoque in secunda periodo livescit facies, ut vidi in septuage-

nario diabete insipido detento; mens simul, visusque perstringuntur; accedunt vertigines; adest coeundi impotentia. In extrema periodo aliquando observatum est delirium ferox; aliquando pulmonum inflammatio. Joan. Loochius septem diabeticos post duos aut tres annos pulmonea defunctos vidit; idem Burserius, aliique. Spurius diabetes veri non pollet characteribus; siquidem parum extenditur urinarum excretio; non adeo sitis urget; non adest tanta debilitas; macies non consequitur. Hinc diabetes in variis contingit morbis, ut affectionibus spasmodicis, difficili dentitione, etc. Hoc etiam acuti et chronici morbi resolvuntur, et tum critici diabetis nomen acquirit.

§. 1027. Caussam proximam diabetis obruit obscura caligo, ad quam diripiendam plurimae sunt excogitatae hypotheses. Antea et post Cullen plures a morbosa renum affectione oriri diabetem judicarunt. Inter hos alii debilitatem et relaxationem vasorum secernentium renum; alii horum calculos; alii inveterata ulcera, et abscessum effingunt. Alibert autem credit diabetem sac-

charinum ab augmento et alteratione proprietatum vitalium renalis systematis oriri, unde materia perditur assimilationi inserviens; insipidum a parenchymatis renum atonia et paralysi. Arbitratur Thomas, diabetem mellitum a vitiosa renum actione pendere, ex qua praeternaturalis urina secernitur materiam saccharinam continens. Generatim hisce opinionibus objici potest, perturbationem organorum digerentium, et alterationem assimilationis fluidorum persaepe praecedere morbosa viarum urinae foenomena; ideoque assimilationis defectum non esse secundarium: speciatim vero, renum debilitatem et relaxationem, quae inspectione cadaverum deducitur, in quibus illorum textura frequenter laxa, flaccida, pallens reperitur, potius effectum, quam morbi caussam esse. E renum autem laxitate potest aliquo modo major quantitas, minime vero urinae qualitas exponi. Insuper non solum renes, sed etiam glandulae meseraicae, et pancreas in eodem inveniuntur statu. Denique, ut animadvertit P. Franch, cur diabetes non sequitur morbos renum, ex quibus haec debi-

litantur viscera? Quoad autem calculos, indubia sunt diabetis exempla sub calculosa affectione; sed extat etiam diabetes, quin a calculis habeat originem. Calculi frequentem sistunt morbum; tamen diabetes rarus est. Ulcera vero et abscessus non semper in illis diabete peremptis deprehenduntur. Ubi adsunt ulcera urinae non sunt limpidae, sed puri immixtae; et forsan hujusmodi miscela pro chyloso diabete habita est. Contra Alibert animadvertimus quod si ab augmento proprietatum vitalium renalis systematis diabetes mellitus oriretur, cur non occurrit sub illis renum affectionibus, in quibus augetur vitalitas? Adversus Thomas eadem objectio valet; nam a pluribus morbis vitiatur renum actio, tamen diabetes non consequitur. Praeterea alii alias effinxerunt caussas. Quidam putarunt, diabetem esse spasmodicam affectionem, quia extantibus hystericis et hypochondriacis affectibus familiaris est. Sed in hisce licet communibus raro contingit verus, sed spurius diabetes. Inquit Richter, hunc morbum esse affectionem spasmodicam a stimulo productam, qui

actionem exercet in renes, et ex hoc majorem quantitatem, et mutatam urinae qualitatem deducit. Ast saepe renes vehementer exstimulantur, ut a calculis, ex quibus saevi dolores, et spasmi producuntur, quin superveniat diabetes. Alii contendunt, diabetem ab aliis colliquativis morbis non differre, ut est fluxus coeliacus, lientericus, etc. Quamvis vero inter hos morbos multa adsit analogia, sunt tamen tam distincti characteres et caussae, ut illi confundi non debeant. Alii a morbosa hepatis affectione, vitiisque bilis diabetem deduxerunt, ut Mead, qui semper in illo viscere aliquid naturae steatomatis reperiit. Hoc nec observationibus, nec cadaverum inspectionibus fuit confirmatum. Cullen viginti curavit diabeticos, nec ullam invenit alterationem in hepate. Praeterea explicationes traditae ad demonstrandum quomodo bilis vitia diabetem progignant, hypotheticae omnino sunt. Nec morbis, qui reapse a vitiosa bile nascuntur supervenit diabetes. Alii hunc eliciunt a peculiari cutis, ejusque vasorum absorbentium conditione, per quam vapores aëris maxi-

mopere absorbentur. Haec vero conditio, qua solum aucta urinae copia, non dulcedo potest explicari, est potius effectus, quam morbi caussa. Censet Cullen, nullam renum affectionem ad producendum diabetem contribuere, sed hunc a vitio assimilationis fluidorum proficisci. De hac sententia, quae inter caeteras majorem probabilitatem exhibet, post verba faciemus. Brown posuit diabetis caussam in perspirationis defectu ob universam debilitatem. Weichard eandem opinionem sectatur; sed addit, vasa exhalantia renum, et viarum urinae per eorum debilitatem, aut dilatationem diametrorum, aut spasmos, majorem quam in statu sano fluidorum quantitatem reddere; praeterea imminutam actionem vasorum absorbentium colli vesicae supponit. Haec vero offerunt potius effectus, quam morbi caussam. Darwin autem directam admittit inter intestina et urinae vias communicationem, quam in motu retrogrado vasorum lymphaticorum consistere putat. Hoc inverso motu exponit quomodo chylus ad renes feratur, quin ductum thoracicum trajiciat: Hujusmodi hypothesis

non paucos habuit sectatores : sed notionibus anatomicis et physiologicis non innitur. Inter tot varias tam veterum quam recentiorum opiniones alteram ut propriam proposuit P. Franch. Inquit, ut in rabie canina venenum agit in nervos faucium, et aquae horrorem adducit, sic a contrario stimulo desiderium aquae est repetendum, qui dum operatur in nervos, actionem praesertim incitat lymphatici systematis. Ita autem sentit, quia virus serpentis dipsadis morsu introductum diabetem excitavit, ut vidit Aretaeus, aliique testantur veteres. Quapropter posuit virus ejusdem naturae sponte ut hydrophobicum productum, quod per nervos systema lymphaticum aggreditur, omniaque edit diabetis foenomena. Haec opinio nec probabilis est, nec omnino recens. A priscis enim temporibus inter caussas, quae renes tentant, admittebatur venenum, ut illud morsu a serpente dipsade injectum. Cullenianae opinioni accedit Rollo, qui arbitratur non alterari renes nisi per consensum ; sed materiam saccharinam urinae diabeticorum decompositioni vegetabilium, quae in stomacho fit, tribuen-

dam esse existimat. Hinc asserit, diaetam animalem sine vegetabilibus, et substantiis ad formationem sacchari in stomacho idoneis, praecipua diabetis symptomata cito abjicere. Ad hoc confirmandum judicium inquit, sanum diabeticorum sanguinem reperiisse. Verum quis unquam materiem saccharinam invenit in stomacho? quis tam indubias et sollicitas diaetae dumtaxat animalis utilitates observavit? Ulterius defendit Dobson, sanguinem diabeticorum saccharum continere; et in pluribus casibus serum turbidum et lacteum observavit, quod quiete mutationes substantiarum animalium proprias non subivit. Ut vero rursus ad Cullenianam opinionem sermonem convertam, haec ut diximus probabilior est; tamen aliquam obscuritatem relinquit. Enimvero quae caussa est fluidorum assimilationem, et sanguinis generationem impediens? Observationes praesertim recentiorum evidenter comprobant, hanc assimilationem impediri, aut imperfecte fieri, unde urinarum mutatio proficiscitur. Sanguis in statu sano partes saccharinas non continet; sed ille diabeticorum repertus est

dulcis et ut refert Sprengel, Michael in corde cadaverum observavit chylum. Diabetes igitur mellitus nasci debet a chylo, qui in sanguinem non convertitur, et in quo partes saccharinae continentur; insipidus vero ab imperfecta chyli in sanguinem mutatione. Ex quo deducitur, utrumque diabetem non species, sed solum morbi gradus constituere, quod mihi erat probandum. Ab hac praepedita, aut non absoluta fluidorum assimilatione depravantur etiam corporis partes, ut a musculorum et membranarum flacciditate constat. Sed ut aliquo modo exponam caussam, quae hanc assimilationi obstat, aliquid animadvertere fas sit. Vasa lymphatica duodeni et intestinorum plurima sunt, quae vocantur chylifera, et portionem absorbentis systematis constituunt; sed quia ut recte conficiatur chylus, ejusque a faecibus praecipitatio, necessaria est cunctatio, a natura fuerunt extructae valvulae, flexiones et diverticula intestinorum, eorumque varia diametros, et longitudo. Sed ubi per morbosam et nimis cupidam vasorum chyliferorum actionem haec mora obtineri non possit, evidens est, ab-

sorberi chylum non satis elaboratum, aut verti non potest in sanguinem, aut imperfecte; et hinc una cum aqueo humore transfertur ad renes, qui urinas separant, quales in diabete deprehenduntur. Ab hac quidem caussa, et non a ventriculi et intestinorum debilitate, sicut nonnulli opinantur, assimilationis defectus oriri videtur. Et re quidem vera appetitus vorax, alvusque compressa, quae ut plurimum comitatur diabetem, vigorem potius, quam horum viscerum infirmitatem significant. Veniamus ad caussas remotas. Diabetes verus est morbus utriusque sexus, et cujusvis aetatis proprius; sed frequentius in senectute occurrit, et in illis debili temperamento praeditis, aut qui per morbos perpessos, vel veneris et vini abusum debiles facti sunt. Omnes autem cachexiae ut caussae praedisponentes haberi debent. Tandem plures sunt gravissimi auctores, qui ad contrahendum diabetem haereditariam dispositionem admittunt. Inter caussas occasionales, quae a pathologis recensentur, aliae potius ansam praebent majori urinarum quantitati, ut copiosae

et calidae potiones ; usus diureticorum ; perspirationis suppressio : aliae imperfectam fluidorum assimilationem , et universam corporis debilitatem afferunt , ut animi deprimentia pathemata ; in usu veneris et vini licentia ; mentis et corporis immoderati labores ; alimenta prava, aut parum nutrientia ; continua frigoris actio ; perpessae aegritudines. Fatendum vero est , quod saepe remotae caussae praefiniri non possunt. Observationes cadaverum frequenter depravatos renes demonstrarunt ; unde plures crediderunt, primam in ipsis abscondi morbi originem. Magis enim systema vasorum renalium explicatum , quam in statu naturali repertum est. Sed hoc etiam invenitur , cum renes inflammatione laborarunt. Etiam eorum substantia mollior , flaccidior , laceratu facilis ; volumen maxime auctum ; color cinereus ; interdum ulcera ; externae venae sanguine turgidae. Sed in diabete non solum renes , sed etiam alia organa mutata observantur. Pancreas enim obstructum , et calculis affectum; obstructae etiam , aut turgidae glandulae mesenterii ; magis explicatae plures vasorum

lymphaticorum ramificationes ; interdum vesicae parietes crassiores , ejusque capacitas imminuta. Jure igitur judicari potest , alterationes renum , ut et aliorum viscerum non esse nisi morbi effectus. Ut plurimum autem hepar , ventriculus , lien in statu naturali adnotantur.

§. 1028. Diabetes verus est morbus praeceps , qui plerumque lucis usuram eripit. Sed quia non desunt sanationis exempla, ut recte vaticinemur , plura attendenda sunt, ut morbi periodus , aetas , temperamentum, caussae , symptomata , complicationes. Etenim prima periodus levior est , et non raro curabilis; dum vero ad alias periodos progreditur morbus, remediis obsistit; et ubi incipit lenta febris gravioribus symptomatibus stipata , aegrum vitae privaturum certum est. Ferale est etiam omen , si diabetes in senibus , debilibusque contingat; quamvis interdum et senes , et debiles sanitatem et vires recepisse feruntur ; sed hujusmodi exempla rarissima sunt. Ratio enim ipsa suadet, quod in hominibus viribus destitutis exitiales esse diabetis effectus. Ex adverso in adolescen-

tibus, et bona temperie donatis sperandum est. Si caussae tales fuerint, ut corporis vires eripuerint, et humores vitiaverint, ut abusus vini, et veneris, etc. infaustum morbi exitum praevidebimus. Symptomata si fiant mitiora, si recuperentur vires, sitis et appetitus vorax minuatur, cutis ad naturalem mollitiem et humiditatem redeat, urina paucior reddatur, et sensim sensimque naturales qualitates acquirat, alvus regularis fiat, facies non amplius pallescat, oculi prius squallidi proprium nitorem reparent, et animi quies et hilaritas revertatur, futuram salutem praedicemus: contra, si omnia ingravescant symptomata, et morbus jam ad extremam periodum pervenerit. Tandem complicatio, quaecunque sit, graviorem et periculosiorem morbum efficit. Si autem diabetes sit spurius, ut plurimum non portendit periculum. Interdum non est gravem morborum symptoma, ut in affectionibus spasmodicis; interdum est periculosum, ut in febribus ardentibus, et malignis; interdum utile est, cum scilicet hoc resolvuntur morbi, ut hydrops, et tum criticus vocatur diabetes.

§. 1029. Obscuritas de morbi caussa, et ad eam aperiendam hypotheses fecerunt, ut tot remedia in diabetem fuerint praedicata, nempe roborantia; stomachica; amara; adstringentia; anodyna; diaphoretica; quae bili restituunt qualitates amissas, ut bilis bovilla; incrassantia; diaeta animalis; etc. Auctorum autem observationes modo unius modo alterius remedii efficaciam testantur. Laudavit Etmullerus martialia, terras abbentes, corticis aurantiorum decoctionem; Willis aquam calcis, tincturam antimonii, diaetam lacteam, gummi arabicum, tragacantha; Mead usum assiduum seri aluminosi, quod fit ex octo libris lactis et tribus drachmis aluminis, et cujus sumenda dosis est libra quotidie in quatuor vices; idem auctor, aliique Angli scriptores aquam Bristolensem; Baglivi pillulas ex catechu; etc. Rollo suo adhaerens judicio statuit, praecipue oportere, ut evolutio et efformatio materiei saccharinae in ventriculo impediatur, hujusque visceris imminuatur actio. Hinc quietem, diaetam animalem, ammonium sulphureum praecepit. Sed hujusmodi curatio-

nis utilitas experientia non confirmatur. Pinel autem remedia inefficacia judicat, et inquit diabetem qui ad secundam periodum pervenerit, minus per illa, quam per hygienes praecepta curari. Narrat etiam rusticatione, exercitatione, laeto animo animalium et vegetabilium esu diabetem, qui jam extremam attigerat periodum emendasse. Ast licet saepe numero inutilia sunt remedia, interdum tamen emolumentum afferunt, ut auctores fide dignissimi asseverant. Horum vero rationalis delectus in tanta caussarum caligine fieri non potest; sed si prudenter quaedam adhibeantur, adinvenietur forsan quod praesertim juvet. In primis alimenta sint nutrientia, concoctu facilia, quae vires resarciant, et sanguinis crasin restituant, ut cremores hordei, oryzae, pulmenta farinacea, lac, juscula carnis vitulinae et ranarum, etc. Huic regimini addi possunt remedia, quae magis opportuna videntur. In tanta vero horum farragine quae magis conveniunt tonica sunt, et adstringentia, sive interna, sive externa. Quae interius adhibenda proponuntur sunt

solutiones ex gummi arabico, tragacantha; conserva rosarum; ratanhia; alumen aut pulvere exhibitum, aut sero lactis solutum; sulphas zinci; catechu; gummi chino; martialia; cortex peruvianus; ille quercus, vel aurantiorum; camphora; radix valerianae; opium; moschus; assa foetida; extractum mirrhae; cuprum ammoniacale; pulvis Doweri; tinctura cantharidum; acidum nitriticum, sulphuricum; aqua calcis aut simplex aut cum lacte; aquae martiales acidulae; vinum meracius modice adhibitum; etc. Cum autem in diabete tam fauces arescant, inquit P. Franch, forte mercurium ob salivationem, quam excitat, adjumento esse; et alii etiam hydrargyri praeparationes proponunt. Haec vero remedia in tanta corporis colliquatione semper suspecta mihi videntur. Externa autem sunt unctiones olei; balnea aut calida, aut frigida; stillicidia ad renes ex aqua frigida communi, aut sulphurea; frictiones cum panno laneo, aut molli strigili ad lumborum regionem; ad illam renum vesicantium applicatio; augmentum vestium, et indusium

laneum. Praeterea in cursu morbi non linquenda sunt auxilia, quae symptomata levant. Idicirco ad sitim et calorem mitigandum dentur acida mineralia cum aqua; emulsiones amygdalarum dulcium aut simplices, aut cum gummi arabico; lac multa aqua dilutum cum saccharo: ad alvum ciendam, ubi nimis comprimatur, juvant rhabarbarum; infusio sennae; pulpa cassiae, tamarindorum; oleum seminum ricini. Denique servetur animi quies; modice exerceatur corpus, praesertim equitatione; fugiatur quidquid perspirationem cohibet, maxime externi frigoris actio; et ad spirandum purum et campestrem aërem se conferat aeger. Sed antequam de diabete vero sermonem linquamus, observandum est, nonnullos ob majus renum volumen, vasaque admodum explicata putasse processu phlogistico haec viscera affici. Watt, aliique affirmant, methodo antiphlogistica, et praesertim venae sectionibus pluries et feliciter curasse diabetem, etiam ubi symptomata oppositam methodum requirere videbantur. Verum quoniam experientia hujusce medendi rationis

nocumentum demonstrat, statuere necesse est, hanc juvasse methodum, cum complicatio phlogistica adesset. Denique si diabetes sit spurius, qui ab aliis morbis provenit, remediis, quae in istos efficaciter pollent, curandus est.

GENUS QUINTUM

Enuresis.

§. 1030. Enuresis est involuntarius urinae fluxus sine dolore. Differt igitur a diabete, quia urinae nec quoad majorem quantitatem, nec quoad qualitates peccant: a dysuria, quia nec ardor nec dolor adest. Hinc immerito nocturna enuresis a quibusdam ut diabetis species consideratur. Potest vero enuresis cum diabete conjungi, et tum urinae praeter voluntatem profluunt, et ab illis diabeticorum non distant. Sic interdum cum dolore effluunt, ut cum ulcera vesicae collum obsident. Enuresis est graeca vox a verbo ἐνυρέω profecta, quod duas significa-

tiones habet, nempe mingo, et tum idem est ac ὑρέω; vel urinam non contineo, aut in stratum mingo, ut ab explanatoribus Hippocratis, aliisque scriptoribus colligitur. Linden haec verba lib. 7. Epidem. xv. 43. ἐνύρησε τῇ ἕκτῃ ἐν νυκτὶ ὀλίγον ita exponit, sexta die in nocte stratum modice perminxit. Deest igitur in hoc morbo potentia urinam retinendi, quae saepe insciis aegrotantibus labitur. In statu salutis urina recipitur et continetur in vesica, donec illius quantitas, quae hujusce receptaculi distendit parietes, et qualitas quae mora fit irritans, mictionem reddat necessariam. Mictio autem per voluntariam membranae muscularis contractionem absolvitur, quae obstaculum superat, quod urinae expulsioni opponit sphincter. Haec functio illaesa manet donec inter vim vesicae expultricem et sphinteris resistentiam aequilibrium conservatur. Etenim dum hoc laeditur aut urinae incontinentia aut retentio sequitur. Infantibus familiaris est enuresis, maxime inter dormiendum, et senibus, quamvis arbitratur Desault, in hisce retentionem urinae cum enuresi confundi;

nam vesica in senibus est passivum organon, quod impletur urina, et ex quo illa sine lubitu profluit quantitas, quae contineri non potest. Quomodocunque vero se res habeat, siquidem in senibus communis est involuntarius urinae fluxus, jure dicendum est, enuresin esse illis familiarem, licet retentioni conjunctam. Non raro etiam mulieribus gravidis, puerperis, hysterica passione affectis, aut praetermodum sensibilibus contingit.

§. 1031. Enuresis est primaria, symptomatica, secundaria. Prima nascitur a vesica primiter affecta; altera ab aliis morbis; tertia a praegressis morbosis affectionibus, et ab instituta lithotomia. Quoniam vero enuresis aut sine ullo evenit stimulo, et urina insciis aegrotantibus effluit, tum dicitur completa; aut aliquo stimulo, et nolentibus aegris vix ab eo monitis exit urina, tum incompleta vocatur. Nocturna autem dicitur quae usuvenit in somno, propriaque est infantum. Nosologi a diversis caussis a quibus oritur enuresis eam dividunt in varias species, variisque distinguunt nominibus ut sunt enuresis paralytica, spastica, delirosa, cal-

culosa, fistulosa, et illa herniosorum, gravidarum, puerperarum, etc. Praecipuum enuresis symptoma est involuntarius urinae cursus. Alia symptomata producuntur a diversis morbi caussis, et ab assidua et foeda urinae proluvie. Intolerabilis enim foetor non parum nocet, et ab urina, quae facile putrescit, partes genitales, et perinaeum irritantur, afficiunturque intertrigine. Animadvertendum est, quod urinae incontinentia cum retentione componi potest. Nam dum vesica atonia laborat, quippe deficit ejus expultrix vis, lotium in ea stagnat, et ubi redundat, praeter voluntatem abit.

§. 1032. Caussa proxima enuresis vel est vesicae expultrix vis aucta, dum resistentia sphincteris eadem non augetur ratione; vel est hujus resistentia imminuta, dum vis contractilis vesicae aequalis remanet. Pueri sunt ad enuresin parati; nam in pueritia major quam in aliis vitae periodis est irritabilitas, unde vesica ad sese contrahendum peculiarem dispositionem habet. Hanc ob rationem non solum noctu, sed etiam interdiu invite mingunt; licet aliquando id eve-

niat per negligentiam, et pravam habitudinem. Senes vero sunt ad enuresin proclives non solum propter vesicae debilitatem, quae absque dubio ad retentionem disponit, sed etiam propter debilitatem et laxitatem sphincteris, unde continue et absque voluntate labitur urina. Mulieres autem nimiae sensibilitatis caussa saepe enuresi laborant. In ipsis enim risus, tussis etsi levis aliquando ad producendam involuntariam urinae exonerationem potis est. Caussae occasionales sunt quae debilitatem, laxitatem, distractionem, contusionem, paralysin sphincteris inducunt; aut augent vesicae sensibilitatem, eamque irritant, comprimunt, atque ejus capacitatem imminuunt. Spectant ad primas lapsus, contusiones, vulnera perinaei; prolapsus ani, vaginae, uteri, hernia vesicae; hujus colli praegressae inflammationes; calculus, fungus, aut aliud corpus illi inhaerens; abusus veneris, mastrupatio; lithotomia. Praeterea sunt quaedam caussae, quae potius retentionem, quam urinae incontinentiam producere videntur, et hinc ubi haec contingat, est saepius cum illa conjuncta.

Hujusmodi caussae sunt paralyses, epilepsia, vesaniae, apoplexia, hydrocephalon internum; luxatio, fractura, caries vertebrarum; ictus, lapsus in vertebralem columnam, et intus extravasata fluida. Hisce enim in casibus inquiunt recentiores, dari non posse sphincteris paralysin, quin etiam tota vesica ab hac afficiatur; nam sphincter peculiarem musculum non sistit, sed est muscularium fibrarum fasciculus ab illis proveniens, quae muscularem vesicae stratum constituunt. Tamen quia nervi aut in eorum origine, aut in eorum ramificationibus offenduntur, laedi possunt qui ad vesicae collum feruntur; ideoque fieri potest quod solum sphincter paralysi afficiatur. Pertinent ad secundas enumeratas caussas acrimonia urinarum; affectiones morbosae vesicae, ut spasmi, lentae phlogoses, rheuma, catarrhus; suppressio menstruorum, et haemorrhoidum; calculi renum; partium pathemata, quae cum vesica consensum habent; graviditas; scirrhus, cancer uteri, etc. Interdum per vias non naturales accidit enuresis, cum scilicet formantur fistulae post suppurationes, lace-

cerationes, ulcera, quae fiunt per gonorrhoeas virulentas, vesicae calculos, chirurgicas operationes in dystocia, calculo, ani fistula peractas.

§. 1033. Enuresis non est adeo periculosa ut urinae retentio; tamen est morbus gravis, molestus, foedus, et saepe insanabilis. A caussarum consideratione exitum praevidere possumus. Solet in infantibus progressu temporis sponte sanari; in adultis et senibus aut est pertinax, aut raro sanabilis. Dum est recens et debilitas in caussa sit, apta curandi methodo potest superari. Si vero a morbosa vesicae sensibilitate, ejusque irritationibus nascatur, exitus praenoscitur a caussis, quae hujusmodi sensibilitatem et irritationes producunt. Urinae acrimonia est frequenter enuresis caussa, quae ut plurimum est variarum diathesium effectus. Si hae diatheses remediis vinci possunt, vincitur etiam urinarum acrimonia, et enuresis. Sic dicendum est si urinae incontinentia oriatur a paralysi. Est autem persaepe insanabilis, quae venit ab aliquo vesicae vitio, aut propinquarum par-

tium, ut est scirrhus, et uteri cancer. Illa quae in acutis morbis contingit, horum infaustum eventum saepe indicat; sed quia non est nisi symptoma, evanescit, si hi morbi persanantur.

§. 1034. Sic curatio pro diversis caussis differt. Etenim si morbus a debilitate, laxitate, paralysi sphincteris ortum habeat, interna et externa eligantur roborantia, ut cortex peruvianus, simaruba, virga aurea, martialia, terebinthina, tinctura cantharidum, quae in aqua ad aliquot guttas exhibita profuit; frigidae inspersiones et immersiones, unctiones ex linimento volatili ad perinaeum, os sacrum, spinam dorsi, stillicidia ex aqua medicata, suffitus ex succino, electricitas, vesicantia super os sacrum applicita. Interdum nimia sensibilitas universae debilitati annectitur, et tum etiam adhibenda sunt tonica, martialia, frigidae immersiones, balnea maris, diaeta nutriens, modica exercitatio, purus aër. Si morbosa sensibilitas nascitur a menstruorum vel haemorrhoidum suppressione, necesse in primis est hujusmodi fluxus revocare, et hirudines pudendis,

perinaeo, ano admovere; si ab aliqua materie ad vesicam translata, hanc emendare, et ad alias partes arcessere; si a spasmis, anodyna et antispasmodica porrigere; si a calculis, hosce extrahere; si a consensu partium, harum morbosas affectiones, si fieri potest repellere. Si ob hanc nimiam sensibilitatem enuresis in pueris dormientibus contingat, nonnulli sine ratione minas et verbera adhibent, dum potius quaedam conveniunt cautelae, scilicet efficere ut ipsi a potu vespere se abstineant, aut parum bibant; vesicam exonerent priusquam decumbant; a somno excitentur, ut mingant. Sed si dormientes aut vigilantes per pravam habitudinem et segnitiem in se ipsos urinam emittunt, tum solum aliqua punitio locum habet. Si vero in infantibus naturali sensibilitati jungatur debilitas, usurpentur tonica. Ubi enuresis ab urinarum acrimonia proficiscitur, generatim utilia sunt mucilaginosa, edulcorantia, victus simplex et euchymus; sed si haec acrimonia a variis diathesibus proveniat, eligantur remedia, quae in istas efficacia sunt. Si caussa sit paralysis,

ut evenit in apoplecticis, hemiplegiacis, etc. juvant tonica, vesicantia ad os sacrum, unctiones ad regionem lumborum, electricitas: si compressio, et imminuta vesicae capacitas, caussa compressionis auferatur; sed saepe hoc fieri non potest, ut si uterus scirrho vel cancro, aut vesica callositate laboret. Tandem si urina per vias non naturales, ut per fistulas abit, curatio in illa fistularum consistit. Cum autem enuresin tollere impossibile est, adhibeantur instrumenta, quae aut urethram comprimunt, aut urinam recipiunt, sicut chirurgia docet.

Digitized by Google

ORDO TERTIUS

Profluvia mucosa

GENUS PRIMUM

Otorrhoea

§. 1035. Otorrhoea est aurium catarrhalis affectio. Sed antequam de hac, aliisque catarrhalibus affectionibus sermonem habeamus, aliquid praemittendum est. Catarrhus est membranarum mucosarum morbus, quo glandularum separatio adaugetur, unde fluit vel expellitur mucosus humor. Sedes igitur catarrhi sunt membranae mucosae, quae ut internum humani corporis velamentum considerari queunt; siquidem per pulmones, nares, palpebras, meatum auditorium, multa viscera, cavitates praecipue organorum digerentium, illorumque excretioni, et generationi inservientium distribuuntur, distenduntur, et penetrant, ac maximam

cum cute analogiam sistunt. Sunt spongiosae, obductae epidermide, vasis nervis plurimisque glandulis mucum secernentibus ditatae, et alicubi formant plicas, quae papillae et villositates dicuntur. Mucus a glandulis secretus omnes cavitates humectans ad expeditiorem substantiarum transitum per illas reddendum, et irritationes praepediendas praecipue inservit. Verum tam in statu sano, quam in morboso maximam secretio muci varietatem subit; quod potissimum pendet a temperamento, aetate, et adspectabilis sympatheia, quae inter membranas mucosas et cutem ac viscera interest. Etenim abundans est muci secretio in temperamentis debilibus, quae hinc catarrhis sunt admodum proclivia. Et quia hujusmodi secretio est in ratione inversa cutaneae perspirationis, clare patet, quare in senibus in quibus perspiratio languet, uberrima sit. Ob expositas autem sympatheias, et illas quae inter ipsas membranas mucosas intercedunt, irritationes et affectiones communicantur, unde tam facile mucosa secretio alteratur. Plures morbos mucosi systematis ab externis cutis impressio-

nibus oriri, quotidiana experientia edocemur: nam si frigidus aër agat in pectus, membrana mucosa pulmonum; si in abdomen illa intestinorum statim afficitur. Praeterea in diversis morbis coagulatur mucus, et aliquando indolem contagiosam acquirit, ut praesertim in syphilide contingit. Irritationes membranarum mucosarum muci secretionem adaugent; sed non omnes irritationes eundem pariunt effectum. Hae enim si ad quemdam perveniunt gradum, imminuunt potius secretionem istam et partium affectarum siccitatem producunt. Catarrhosi affectus non semper ut totidem membranarum mucosarum inflammationes habendi sunt, sicut plures inter recentiores arbitrantur. Enimvero non in omnibus catarrhis signa inflammationis occurrunt, nec semper hujus in membranis mucosis deprehenduntur vestigia. Datur interdum plethora mucosa, ut plethora sanguinea, sicut inquit Alibert. In senibus, debilibus, otio viventibus mirum in modum mucositates abundant, unde proficiscuntur catarrhi, qui saepe nunquam ad finem perveniunt. Quamobrem necessaria quaedam ca-

tarrborum distinctio mihi videtur : nam qui inflammatoriis foenomenis stipantur, ad inflammationes ; qui hisce carent potius ad profluvia pertinent. Ideo inter illas coryzam, anginam catarrhalem, peripneumoniam notham posuimus ; inter haec alios catarrhales affectus, de quibus erimus loquuturi.

§. 1036. Distinguitur otorrhoea in primariam, symptomaticam, secundariam, congenitam, acutam, chronicam, epidemicam, menstruam, simplicem, complicatam. Primaria esse potest acuta vel chronica, simplex vel complicata ; symptomatica est aliorum morborum effectus; secundaria oritur a morbosa materie in meatum auditorium translata, ut nonnunquam in affectionibus herpeticis accidit ; congenita in ipso ortu apparet, ut quae scrophulosa dicitur. Exempla otorrhoeae epidemicae et menstruae admodum rara sunt. Haec catarrhalis aurium affectio confundi non debet cum fluxu purulento, qui a pathologis otorrhorea purulenta vocatur. Hic enim otalgiam, suppurationem parotidum, ulcera, gravem cephalalgiam consequitur. Nec cum fluxu serosi hu-

moris, qui a cryptis pone auriculam positis scaturit, et otorrhoea serosa dicitur. Hic serosus fluxus frequens est in pueris, praecipue cacochymicis, et ut plurimum salutaris est, quia caput, oculos, aures ab aliis vindicat morbis. Quamobrem si inconsulto reprimatur, facile oculorum inflammatio, internarumque aurium sequitur fluxus.

§. 1037. Otorrhoea primaria et acuta quoad procedendi modum coryzae valde similis est. In initio enim deest fluxus materiei mucosae, sed urget capitis dolor, distensio dolorosa meatus auditorii, aurium murmur, auditus obtusus. Post vero aliquem diem materies alba et soluta effluere incipit, quae mox lutea et densa fit cum symptomatum imminutione. Si vero irritatio otorrhoeam inducens considerabilior sit, et ad vicinas partes extendatur, cervicales glandulae tumescunt, ardoris sensus in meatu auditorio percipitur, externae aurium partes rubrae evadunt et tumidae, colli musculi distenduntur. Otorrhoea autem chronica est frequenter effectus debilis temperamenti, senectutis, aliorum morborum, ut herpetum, variolarum, scrophularum, etc.

§. 1033. Pueri otorrhoeae acutae sunt magis compositi, praesertim dentitionis periodo; siquidem prima aetate mucosae membranae admodum sensiles sunt: senes chronicae, maxime debiles et cacochymici. Caussae occasionales frequentiores sunt catarrhorum communes, ut aër frigidus et humidus, vicissitudines atmosphericae, transitus è loco calido in frigidum, lavatio aqua frigida capitis et faciei dum aestuat corpus et sudore madet. Praeterea inter caussas sunt extranea corpora in aures introducta.

§. 1039. Cum otorrhorea est acuta, et a levi caussa nata, brevis esse potest, potissimum si nulla adsit complicatio. Dum enim aliqua extat diathesis morbosa, licet caussa sit parvi momenti, saepe diuturna evadit et chronica. Si autem a phlogistica membranae mucosae irritatione nascatur, ut plurimum diutina est. Otorrhoea chronica senum est crebro insanabilis, et ad surditatem conducit. Prognosis vero symptomaticae et secundariae otorrhoeae a natura sumitur primarii morbi, urgentibusque symptomatis. Itaque ab otorrhoea syphilitica, in qua ob-

tunditur auditus, quia per condensationem membranae mucosae meatus auditorius obstruitur, caries timenda est: ab herpetica vehementer meatus auditorius afficitur, unde curatu difficillima est: scrophulosa est fere semper insanabilis, et surditatem affert: variolosa etiam est saepe incurabilis ex eo quod a metastasi materiei variolosae meatus auditorius summopere debilitatur.

§. 1040. Curatio otorrhoeae acutae est antiphlogistica. Dum caussa est inflammatoria irritatio, statim hirudines circa aures apponantur. Ad adjuvandum autem materiei mucosae fluxum, qui paratur, et lenienda symptomata, applicentur emollientia; fiant suffitus ex decocto calido malvae; in aures lac, vel oleum amygdalarum dulcium indatur. Sedulo vitetur aëris frigus et humiditas; victus sit tenuis. Si hisce remediis resistat morbus, ne habitualis evadat, prius applicetur vesicans nuchae, et deinde ubi adhuc perseveret, cauterium et setaceum juvabit. Haec etiam in chronica otorrhoea sunt adhibenda; sed dum hisce adversatur, insanabilis est. Tandem si otorrhoea

sit symptomatica, varia esse possunt auxilia prout postulat primarius morbus, ut mercurius in syphilide; in herpetibus antimonialia.

GENUS SECUNDUM

Blennophthalmia

§. 1041. Blennophthalmia est palpebrarum fluxus, saepe aspectum puriformem praeseferens. Dum enim membrana interna palpebrarum irritatur, etiam glandulae Meibomii exstimulantur, unde materiei mucosae sebacea immiscetur, quae acrem et irritantem indolem acquirit. Dici igitur potest, in alterata secretione membranae internae palpebrarum et glandularum Meibomii hunc fluxum consistere. Dividitur blennophthalmia in primariam et symptomaticam, acutam et chronicam, simplicem et complicatam, congenitam, epidemicam et endemicam. Primaria est vel acuta vel chronica; symptomatica provenit a diversis diathesibus, ut rheu-

matica, venerea, scrophulosa, herpetica, variolosa, morbillosa; epidemica nascitur a speciali aëris actione, licet non intellecta, sed experientia cognoscimus, aërem modo in unam modo in alteram mucosam superficiem agere; et epidemicas catarrhales affectiones producere; endemica oritur a localibus caussis, ut illa Ægypti, de qua plurimi loquuntur scriptores.

§. 1042. Blennophtalmia simplex et acuta incipit rubore, pruritu internae superficiei palpebrarum; glandulae Meibomii tergescunt; oculi rubent; fluunt lacrymae; aegre lux toleratur. Si augeatur irritatio et phlogosis, etiam symptomata ampliora fiunt, scilicet tumescit conjunctiva, et dolores acuti et lancinantes evadunt. Sed ut plurimum dum nulla adsit complicatio, et caussae sint leves, imminuuntur symptomata, sensimque morbus evanescit. Dum chronica est blennopthalmia, aequalia sunt foenomena, sed magis lenta, minusque vehementia. Etenim minor est rubor et calor palpebrarum; facilius fertur lux; materies oculum et palpebras conspurcans est magis densa,

viscosa, puriformis. Interdum vero in hoc morbo alia et gravia occurrunt symptomata, praesertim ob acutam vel lentam phlogosin, quae etiam ad internas oculi partes producitur. Dum autem est symptomatica, extant signa, quae naturam primariae diatheseos patefaciunt. In blennophtalmia syphilitica, quae esse potest congenita, mucus est densus, foetidus, magis luteus; in scrophulosa palpebrae tument ut et glandulae Meibomii, decidunt cilia, perstringitur visus; in herpetica ingens est palpebrarum rubor et pruritus, materies acris et subtilis extillat. Epidemicam et endemicam blennophtalmiam comitantur symptomata, quae secundum indolem epidemicae constitutionis, et caussarum varia sunt. Ut plurimum vero suscitatur inflammatio, quam infaustae excipiunt sequelae. In Ægyptiaca vehemens accenditur inflammatio, intolerabiles sunt dolores, lux sustineri non potest, palpebrae admodum tument; hinc maculae corneae, abscessus, staphylomata pertimescenda sunt.

§. 1043. Blennophtalmia est cujusvis aetatis propria; sed magis hac laborant

homines debili, lymphatico, et etiam plethorico temperamento praediti. Hanc autem excitare queunt aëris frigus, calor, humiditas, vicissitudines; lux nimis vivida; materiae irritantes, quae feruntur ad oculos. Epidemica et endemica etiam esse potest contagiosa. Quoad illam Ægypti non in eadem scriptores versantur opinione. Alii enim eam credunt omnino contagiosam; alii pendere ab actione vehementi lucis; alii a quadam materie aëri immixta; alii ab humiditate, et frigore noctis, quod diei calori succedit.

§. 1044. A variis morbi caussis et symptomatibus potissimum dependet praesagium. Si enim caussae sint levissimae, post aliquot dies etiam sponte sanatur blennophtalmia. Id vero non evenit, si magna sit irritatio, et inflammatio suscitetur, quia consequi possunt gravia mala, ut abscessus, ulcera, coecitas. Ætas etiam est respicienda; nam in senibus hujusmodi fluxus est magis pertinax et periculosus. Praeterea blennophtalmia multis oculorum morbis ansam praebet, inter quos est fistula lacrymalis. Verum non in eadem sum mente qua Ill. Scarpa, qui

ab illa solum fistulam lacrymalem produci, nec hujus perfectam sanationem obtineri arbitrabatur, quin remedia adhibeantur quae adstringunt, et immodicam muci, et materiae sebaceae secretionem reprimunt. Haec enim hypothesis experientiae adversatur, ut plures practici animadvertunt, inter quos Joseph De Nasca, ut in sua praeclara dissertatione de fistulae lacrymalis curatione videre est.

§. 1045. Curatio blennophtalmiae secundum ejus caussas et vehementiam disponitur. Si enim caussae sunt leves, emollientia sufficiunt, ut decoctiones hordei et malvae, quibus humectantur oculi, et aliqua levis purgatio. Sed ubi ingens est irritatio, et inflammatio accedat; oportet ex brachio, aut pede sanguinem mittere, et hirudines temporibus admovere, aut partibus verendis, aut vasis haemorrhoidalibus, si menstrua, vel fluxus haemorrhoidalis deficiant: eodem tempore decoctione malvae vel althaeae oculos abstergere. Praeterea valde prosunt levia purgantia, aut levia emetica, clysteres, praesertim si gastricarum sordium compareant signa. Transacta ve-

ro irritationis, et phlogoseos periodo, vesicantia, collyria ex aqua plantaginis et aliquo grano sulphatis zinci, vel aluminae expediunt. Si hisce non emendetur morbus, adhibeantur unguenta ex oxydis mineralibus composita. Illud vero ophthalmicum Janin mirabiles producit effectus. Hoc potui, aliis incassum adhibitis efficacioribus remediis, vincere fluxum palpebrarum, qui per plures menses puellam affligebat. Si blennopthalmia chronica sit et pervicax, inurantur cauteria, et setaceum. Si symptomatica, non solum externa, sed etiam interna auxilia conveniunt, prout primarii morbi postulat indoles.

GENUS TERTIUM

Blennothorax

§. 1046. Catarrhus pulmonum ab Alibert blennothorax nuncupatus in mucosa bronchiorum membrana sedet. Caeteris catarrhis frequentior est, et ob multiplices caus-

sas, symptomata, complicationes, irregularitates, incedendi rationem maxime varius. Dividitur in primarium, symptomaticum, secundarium; acutum, et chronicum; simplicem, et complicatum; epidemicum, et sporadicum; benignum, et malignum. Primarius esse potest vel acutus vel chronicus, aut ex acuto in chronicum transire; symptomaticus a pluribus morbis produci solet, ut rubeola, gastricis affectionibus, vermibus etc; secundarius nascitur a metastasi alicujus materiei morbosae, ut podagricae, rheumaticae, aut a retrocessione exanthematum, vel impetiginum; epidemicus, qui vulgo dicitur Grippe, ab aliquo aëris vitio, vel ab ipsius continuis mutationibus oritur; malignus gravioribus symptomatibus distinguitur, quamvis non omnes de hoc conveniunt. Alii enim catarrhi maligni nomine intelligunt febrem catarrhalem malignam Germanorum, quae cum catarrho misceri non debet; alii illum catarrhum gravissimis symptomatibus stipatum, et epidemicum. Praeterea observandum est, quod a Nosologis appellatur catarrhus ferinus, si praecipuum symptoma sit tussis

vehemens et molesta; suffocativus, si respirationem impediat, et suffocationem minitatur, aliisque periculosis consocietur foenominis.

§. 1047. Catarrhus pulmonum primarius et simplex, incipit lassitudine, dolore capitis, pectoris oppressione, respirandi difficultate, vicissitudinibus frigoris et caloris; hinc supervenit tussis, internus pectoris calor, nulla aut exigua febris circa vesperam, expectoratio materiei mucosae, quae mox fit copiosior et crassior, et tum symptomata minuuntur, erumpunt sudores, urinae redduntur rubrae croceae, sedimentosae. Hoc modo post aliquot dies, et interdum decimo quarto, aut vigesimo primo die omnia finem habent. Ex hisce patet quod catarrhus simplex ut inflammatio haberi non debet; sed cum symptomata intensiora sunt, febris continua, tussis pertinax et molesta, sputa sanguine tincta, respiratio difficilis, dolores pectoris, facies rubra, oculi scintillantes, pulsus durus, tum ut inflammatio considerari debet, etiam si nullus pectoris urgeat dolor. Catarrhus chronicus diu per-

sistit, et ad plures menses etiam extenditur, symptomatis non adeo intensis distinctus. Ut plurimum nulla adest febris, sed aliqua respirationis difficultas, tussis, expectoratio horis matutinis copiosior, qua liberior redditur respiratio, et omnia mitescunt symptomata. Interdum vero catarrhus chronicus exasperatur, et peripneumoniae spuriae aspectum sumit, quod persaepe sub repentinis aëris mutationibus contingit. Sputa catarrhi chronici sunt admodum varia quoad copiam, colorem, consistentiam, odorem, et sedulo observanda, siquidem morbi complicationem et periculum denotant. Cum enim adaugetur secretio materiei mucosae bronchiorum, quae tussi expuitur, potest catarrhus in tabem mucosam pulmonum abire. Interdum sputa sunt tenacia, et difficillime eduntur, unde importuna tussis excitatur, et admodum respiratio laeditur. Interdum sunt subdulcia, quae timorem proximae consumptionis, injiciunt; nam ita deperduntur principia corporis nutritioni dicata, et sensim sensimque eadem comparent symptomata, quae phthisis pulmonaris ulcerosae propria sunt, ut lenta

febris, debilitas, sudores nocturni profusi, difficilis respiratio, halitus oris foetens, oedema pedum, consumptio. Horum symptomatum caussa non raro pro phthisi pulmonari ulcerosa sumitur morbus, sicut considerat P. Franch, dum cadaverum sectio arguit errorem judicii. Interdum sputa sunt amara, quae biliosam complicationem aperiunt; interdum salsa, quae scorbuticam cachexiam revelant; interdum foetidissima, quae pessimum offerunt signum. Catarrhus complicatus est multiformis. Hunc enim ob multiplices complicationes comitantur symptomata diversissima, ut illa venereae luis, scrophularum, scorbuti, podagrae, rheumatis, affectionum gastricarum, biliosarum, etc. Catarrhus secundarius plerumque suffocat; si materies ex. gr. podagrica feratur ad pulmones, sufflaminatur respiratio, deficit vis illam edendi materiem, quae saepissime copiosa est et tenax, deletur vox, pulsus fit inaequalis intermittens, et ubi promptis, et opportunis remediis nullum obtineri potest levamen, cito sequitur mors. Si catarrhus sit epidemicus, aut est simplex et

benignus, vel leviter cum coryza, vel aliqua rheumatica affectione compositus, ut qui Romae exeunte anno 1831. et initio sequentis grassabatur; aut est complicatus, et plus vel minus gravis, secundum diversas complicationes, et epidemicae constitutionis naturam. Saepe enim febribus gastricis, nervosis, inflammatoriis, aut viscerum inflammationibus conjungitur, ejusque exitus est plus minusve funestus.

§. 1048. Caussa catarrhi pulmonum acuti est stimulus, qui simpliciter membranam mucosam bronchiorum provocat, unde augetur, pervertiturque muci secretio. Contra chronici catarrhi est pulmonum laxitas, ut confirmat illa flacciditas, quae sectione cadaverum reperitur. Juvenes catarrho acuto sunt magis dispositi; chronico senes, debiles, lymphatico temperamento praediti, animi pathematibus deprimentibus acti, qui a parentibus pulmonum debilitatem haereditarunt, vel quorum thorax est pravae structurae. Caussae vero hujusce morbi excitantes longe plures sunt, ut aëris vicissitudines, per quas autumno et hyeme frequentes sunt

catarrhi; susceptum frigus aestuante corpore; suppresio perspirationis, et pedum, axillarumque sudoris; exanthematum vel impetiginum retrocessus; alicujus materiei morbosae metastasis; nocui, et irritantes vapores, qui sunt in aëre, vel emittuntur a corporibus, et continue respiratione hauriuntur; gastricae sordes, vermes; viscerum affectiones; specificum contagium.

§. 1049. Si pulmonum catarrhus sit simplex, ejusque symptomata mitia, et in illis contingat, qui ad phthisin pulmonarem dispositionem non habent, si bene curetur, periculo ut plurimum vacat; nam copiosa excreatione, sudore, sedimentosa urina facile solvitur. In hominibus vero provectae aetatis, aut alia aegritudine fractis solutu difficilior est. Si autem catarrhi symptomata sint graviora, ut difficilis respiratio, tussis vehemens, internus calor, febris, in veram peripneumoniam transilire potest. In senibus acutus pulmonum catarrhus frequenter in chronicum degenerat, aut valde pertinax fit. Si vero curatio non recte procedat, habere potest morbus funestos exitus, praesertim in

illis, qui ad chronicos affectus pectoris inclinantur, ut sunt pulmonum tubercula, illorum tabes pituitosa et ipsa phthisis ulcerosa. Generatim catarrhus chronicus in senibus, debilibus, pituitosis aegre solvitur, et crebro in tabem pituitosam pulmonum transgreditur. Hujusmodi catarrhus longe persistit, etiam per plures menses; interdum exacerbatur, ejusque intensiora symptomata ab illis nothae peripneumoniae non distant. Catarrhus symptomaticus majus vel minus facessit negotium ob variam primarii morbi indolem; ita complicatus ob dissimiles morborum compositiones. Secundarius ab aliqua metastasi, vel exanthematum aut impetiginum retrocessu profectus, semper affert discrimen, et difficile vincitur. Epidemicus aut est levis aut gravis pro varia epidemicae constitutionis natura.

§. 1049. Ex dictis deducitur, vario modo curandum esse pulmonum catarrhum. Dum enim est simplex et levis, satis est naturae viribus favere, quae eum solvere nititur. Idcirco praecipiatur quies, aptum diaetae regimen, excreatio et sudor promovea-

tur; unde looch album, syrupus de Althaea, oleum amygdalarum dulcium, decoctiones pectorales et leviter diaphoreticae expediunt. Oportet vero oleosis et dulcibus substantiis non abuti, ut plerique admonent practici. Si autem morbus nimis prolongetur, nil magis juvat, quam mitia emetica, ut refractae ipecacnanhae doses, quae perspirationem, et materiei mucosae excreationem cient. Emetica etiam maxime conveniunt ubi adest gastrica complicatio. Purgantia minus utilia sunt, imo etiam nocua inter morbi initia, ut animadvertit Alibert; siquidem motibus naturae adversantur ad utilem perspirationem dispositae. Possunt praeterea quaedam exstimulantia prodesse, dummodo non adsit phlogosis, quae excreationem et sudorem moveant, ut oxymel scilliticum, chermes minerale, pulveres Doweri. Tandem vesicantia, et ad leniendam tussim et quietem conciliandam adhiberi possunt opiata. Si vero pulmonum catarrhus tam est vehemens, ut dici possit inflammatorius, oportet secare venam, secus inflammatio pulmonum consequi potest. Sanguinis missio ut

in hoc casu utilis et necessaria, sic est damnosa ubi adest virium debilitas et pulmonum laxitas. Si catarrhus sit chronicus, remedia sunt mitia emetica, antimonialia, gummi ammoniacum, infusio polygalae, vesicantia, frictiones in cutem, victus nutriens, modica corporis exercitatio, et opium ad mulcendam tussim. Haec etiam in tabem mucosam conducunt; sed maxime maritima itinera, et habitatio locorum, ubi aër siccus est et serenus. A nonnullis pro catarrho chrouico, et tabe pituitosa inter alia roborantia laudatur cortex peruvianus; sed in hisce pectoris affectionibus utilem non esse arbitramur, si solus et sub forma pulveris porrigatur, quippe qui excreationem supprimit, et exasperat tussim. Tum solum corticem peruvianum utilitatem afferre vidimus, cum ejus decoctio immisceatur lacti. Si vero catarrhus sit periodicus, et ut febres intermittentes procedat, tum quidem laudatus cortex magnum remedium est. In catarrhum symptomaticum, aut complicatum pro varia morborum primariorum natura, diversisque complicationibus differunt remedia. Tandem

in secundarium praecipue valent vesicantia, fonticuli, diaphoretica, et quae ad alias partes materias morbosas revocant, et pulmonum irritationes, ac symptomata mulcent.

GENUS QUARTUM

Blennuria

§. 1050. Catarrhus vesicae urinariae, qui frequentius in senibus evenit, ab Alibert vocatur blennuria. Non solum a generalibus affectionum catarrhalium caussis, sed etiam a peculiaribus nascitur, ut infra videbimus. Est primarius, symptomaticus, secundarius; acutus, chronicus; simplex, complicatus. Acutus facile fit chronicus, et ex simplici complicatus. Etenim membrana mucosa vesicae urinariae lenta phlogosi afficitur, et non raro formantur ulcera. Aut acutus sit, aut chronicus, saepe cum aliis morbis complicatur, ut sunt podagra, rheuma-

tismus, aliique, praecipue qui urinaria organa premunt.

§. 1051. Catarrhus acutus vesicae incipit doloribus plus vel minus vehementibus, qui ad urethram extenduntur; necessitate saepe reddendi urinam, ejusque ejectione difficili. Pulsus fit frequens, et durus; adest sitis, oris siccitas, ardor et ariditas cutis, tensio regionis hypogastricae, sensus frigoris ad extrema, anxietas; exigua est urinae quae fit quantitas; urina autem modo est albida, modo subrubra, modo turbida; mucus, qui urinae immiscetur, paucus est inter initia, sed mox fit magis copiosus, densus, tenax, et ad fundum matulae cadit. Saepe observavimus, in hoc acuto catarrho non tam ingratum emittere odorem, ut in chronico, ubi est foetidissimus, et ammoniacalis. Exposita symptomata circa vesperam exacerbantur, mitescunt mane; sed id non semper evenit. Interdum enim dolores nunc acerbiores, nunc mitiores sunt, nunc in eodem gradu manent, nunc adaugentur, aliaque adjunguntur, ut stranguria, corporis jactatio, molestus partium genita-

lium pruritus. Patet igitur, hunc morbum modo leviorem, modo graviorem esse, et vesicae inflammationem constituere. Dum autem est chronicus, non tam vehementia sunt symptomata; sed acerbi dolores non raro torquent ad regionem pubis, et ad perinaeum; summa est anxietas; impeditur et abrumpitur somnus; urina plus vel minus muci continet, qui ad fundum matulae deponitur. Hujusmodi foenomena in diutino morbi progressu saepe adnotabiles et extensas intermissiones habent. Sed paullatim deperduntur vires vitales, laeduntur digestiones, et tandem corpus contabescit. Dum catarrhus vesicae est symptomaticus, non desunt signa primarii morbi; ut etiam dum est aliis morbis compositus. Quapropter si ex. gr. sit symptoma calculi vesicae urinariae, illius adsunt signa; si complicatus cum podagra, non solum urinae mucum continent, sed etiam deponunt sedimentum lateritium, paroxysmi podagrici cum hisce urinis saepe alternant, scilicet dum illi aggrediuntur, non amplius urinae mucosae et sedimentosae sunt, quae hujusmodi redeunt, si pa-

roxysmi conticescunt; ita si exulceratio extat vesicae, mucus, qui confunditur cum urinis et lente descendit, est suffectus sanguine, continue vexant dolores, surgit lenta febris, et consumptio sequitur. Secundarius facile dignoscitur, quia aut post aliquem morbum, aut metastasin, aut retrocessum herpetis, scabiei, etc. adoritur, aut ab instituta lithotomia relinquitur. In hisce catarrhis cavendum est, ne mucus cum spermate confundatur, sicut subinde factum est. Sperma enim ab illo distinguitur per specificum odorem et colorem; facile liquescit, et evaporatione levi in crystallos abit: quamvis ab analysi muci a Chopart, et ab illa humani spermatis a Vauquelin peracta colligitur, aliquam inter utramque substantiam adesse analogiam et ob quaedam principia, et quia mucus et sperma substantiae sunt viscosae, et alcalicae, sicut observat Pinel.

§. 1052. Vesicae catarrho magis mares, quam foeminae laborant, praecipue senes, qui vitam sedentariam degunt, et illi quorum mucosum systema maxime delicatum est

et sensile. Caussae, quae acutum vesicae catarrhum excitant, sunt perspiratio cohibita, fluxus haemorrhoidalis repressus, actio subitanea frigoris, vicissitudines aëris, alimenta acria et nimio sale aspersa, abusus liquorum spirituosorum, immodica venus, urinae acrimonia, cantharidum usus, etc., quae vero chronicum, sunt affectiones animi deprimentes, vita sedentaria, frequens et contiqua catheterum introductio, et ipsa vesicae debilitas. Plures etiam sunt morbi, qui catarrhum symptomaticum producere valent, ut ingens vesicae calculus, spasmodicae organorum urinae irritationes, congestio sanguinea renum, etc. Tandem secundarius ut diximus vel ab aliquo praegresso morbo, ut a toleratis venereis blennorrhagiis, vel ab aliqua metastasi, vel a retrocessu alicujus materiae morbosae proficiscitur.

§. 1053. Prognosis catarrhi vesicae potissimum ab ejus vehementiae gradu, caussis, et complicationibus accipitur. Si itaque sit levis, simplex, et ortus caussis parvi momenti, prompta sanatio sperari potest; si vero gravior, et caussae efficaciores violen-

tiora produxerint symptomata, periculum imminet, siquidem ut vesicae inflammatio habendus est. Si adeo intensus non sit, sed diu persistat, facile evadit chronicus, enervat vires, et aegre sanatur. Si chronicus, maxime in senibus, utplurimum remediis obstat, et insanabilis est. Complicatus est semper curatu difficilior; sed ejus periculum a morborum natura cum quibus conjungitur discernitur. Sic de symptomatico, et secundario dicendum est. Si ex gr. est calculi vesicae symptoma, hujus extractione sanatur; si proveniat a metastasi materiarum herpeticarum, vinci potest, si hujusmodi materiae revocentur ad cutem et remediis emendentur; si contingat in senibus, et a pluries perpessis venereis blennorrhagiis oriatur, corporis macie terminatur.

§. 1054. Curatio ut caeterarum affectionum catarrhalium dissimilis est. Etenim si acutus est vesicae catarrhus, et inflammatoriae indolis, methodus expedit antiphlogistica, ut sanguinis missiones, applicatio hirudinum, emollientes et calidi fotus ad pubem et perinaeum, unctiones oleosae, cly-

steres emollientes, vapores aquae tepidae, balnea etiam tepida, potiones mucilaginosae, diaeta conveniens. Oportet vero ut methodus debilitans limites non excedat; nam, ut vidimus, acutus catarrhus expedite in chronicum degenerat. In omni casu ut belle regatur curatio, in investigandis caussis summa diligentia ponatur. Si enim pendeat morbus a suppressis haemorrhoidibus, nil magis confert, quam vasis haemorrhoidalibus hirudinum applicatio; si a perspiratione retenta, levia diaphoretica, frictiones super corporis superficiem pannis laneis et siccis peractae juvant; etc. Si autem vesicae catarrhus diutinus sit et chronicus, conveniunt tonica, balsamica, aquae minerales acidulae, modica corporis exercitatio, vestes laneae super cutem, habitatio in locis salubribus elevatis siccis, victus nutriens. Si sit complicatus, symptomaticus, secundarius, varia esse debent remedia. Pro secundario a metastasi herpetica, psorica, rheumatica, vesicantia, sinapismi, cauteria, praecipua auxilia sunt.

GENUS QUINTUM

Blennurethria

§. 1055. Fluxum muci modo albidi, modo sublutei, modo luteo-viridis, modo serosi, modo puriformis ab urethra cum Alibert blennurethriam appellamus. Plures cum Swediaur eum vocant blennorrhagiam; sed hoc nomen generale est, dum illud aptius ad significandum muci fluxum ab urethra videtur. Tamen nulla adhuc denominatio huic morbo adamussim congrua adinvenitur; nam non semper fluit mucus, sed materies puriformis, et verum pus. Et re quidem vera ab irritantibus caussis non solum secretio muci adaugetur, sed etiam hujus mutatur natura; unde mucus in materiam purulentam, et pus convertitur. Magnum igitur per errorem hic fluxus, ut si spermatis foret, appellabatur olim gonorrhoea, in hominibus ab urethra, in foeminis a vagina, superficie labiorum, nympharum, et clitoridis proveniens. Hujusmodi

autem fluxus urethrae dividitur in simplicem, et virulentum ac contagiosum; uterque in acutum, et chronicum. Simplex vero in primarium, symptomaticum, secundarium. Virulentus a simplici non tam per graviora symptomata, majorem diuturnitatem, et materiei fluentis colorem, quam per contagiosum characterem differt. Ut ordine progrediamur prius de simplici, postea de virulento dicendum est.

§. 1056. Catarrhus simplex urethrae, qui saepe nascitur ab internae membranae irritationibus, consistit in aucta quantitate muci, qui a folliculis glandulosis secernitur. Saepe deest dolor, levissima sunt symptomata, et fluxus breviter cessat. In initio materies est albida, serosa; mox densior, sublutea, non contagiosa. Interdum vero vehementiores sunt irritationes, adest dolor, et symptomata sunt inflammatoriae naturae. Hujusmodi urethrae catarrhus dicitur simplex et acutus. Si vero symptomata non sint vehementia, diu persistat fluxus, et debilitatem inducat, dicitur chronicus. Hic fluxus, etsi diutinus, si cum mucoso humore non immi-

sceatur sperma, raro trahit ad funestum finem. Tamen aliquando et consumptionem, et mortem infert; quod contingit in debilibus, et in illis, qui aliis laborarunt morbis. Sartorem invisi quadraginta annorum, debili et lymphatico temperamento praeditum, ab aliquot annis matrimonio junctum, chronico fluxu mucoso urethrae affectum, qui omnibus remediis resistens eum viribus reddidit destitutum, et impotentem ad coitum. Medicus prius accersitus hunc fluxum judicavit virulentum, quia materies effluens erat luteo-viridis, et morbus adeo pertinax; sed sine ratione, cum aeger bene moratus et religiosus esset, ac mulier nunquam contraxerit luem. Paullatim incepit consumptio, ciborum aversatio, lenta febris; et quamvis convenientia remedia adhiberentur, et per aliquod tempus secus maris litora permaneret, è vivis abiit. Observandum vero est, quod in chronicis urethrae catarrhis interdum tam acris fit materies, ut fere adipiscatur contagiosam indolem, ut plus semel observavi; sed fluxus aut exulcerationes, quae absque concursu materiei venereae producuntur, facile eva-

nescunt, praecipue si partes actioni tam acris materiae non amplius exponantur. Haec animadversio opportuna mihi videtur, ne hujusmodi fluxus syphiliticae naturae judicentur, etsi aliquam indolem contagiosam acquirant. Imprudens judicium inter conjuges incorruptae fidei dissidium non raro concitavit.

§. 1057. Catarrho urethrae acuto magis juvenes et irritabiles, chronico magis senes, et debiles inclinant. Primo occasionem praebent potiones diureticae, aut medicamenta ejusdem naturae, drastica, internus cantharidum usus, urina nimis acris, actio frigoris, atmosphericae vicissitudines; alteri quae prius universum corpus debilitant, et postea localiter agunt, aut quae affectae partis debilitatem inducunt, unde fluxus diutinus fit et pertinax, ut sunt abusus veneris, mastrupatie, perlatae blennurethriae venerae, etc. Dum autem urethrae catarrhus est symptomaticus, a variis morbis oritur, ut a renulis, calculis, vermibus; dum est secundarius provenit a metastasi alicujus materiei morbosae, ut podagricae, herpeticae, scrophulosae, etc.

§. 1058. Blennurethria acuta, et a levibus caussis orta aut sponte, aut simplicibus mucilaginosis remediis sanatur. Felix exitus obtinetur, etsi stipetur inflammatoriis symptomatis, dummodo belle curetur. Sed non facile vincitur inveterata, et ubi temperamentum sit debile, et caussae generalem et localem debilitatem attulerunt, et ad alios chronicos morbos disponant, ut immodica venus, et foedum masturpationis crimen. Symptomatica est vel brevis vel diuturna pro diverso morbo, unde oritur. Itaque si ab haemorrhoidum irritatione procedat, dum haec evanescit, cessat muci fluxus ab urethra; si a calculo vesicae, hic fluxus persistit donec ille non extrahatur. Secundaria brevis esse solet, si morbosa materies ad aliam et propriam revocetur sedem.

§. 1059. Facilis est ut vidimus acuti urethrae catarrhi curatio; tamen non obtinetur sanatio, si non amoveantur caussae, ut usus internus cantharidum, diureticorum, etc. Si vero magna sit irritatio, et urgeat affectae partis dolor, fotus emollientes, potiones diluentes, mucilaginosae, lenia pur-

gantia, praecipue si adsint gastricae sordes, conveniunt; et omnia exstimulantia evitentur. Si vero hujusmodi catarrhus sit chronicus, juvant tonica, quae generatim et localiter agant, ut praemisso emetico, vel purgante, si quod extet ventris inquinamentum, decoctiones corticis peruviani, martialia, aquae minerales ferrugineae, modicum vinum, injectiones ex decoctione corticis peruviani simplici, aut cum alumine, aut ex aqua plantaginis cum aliquot guttis laudani liquidi Sydenhanii; victus sit nutriens, digestu facilis: saepe etiam omnibus remediis virtute supersunt aliqua corporis exercitatio, animi quies, rusticatio. Tandem si catarrhus urethrae symptomaticus sit, aut secundarius, pro diversa morborum primariorum indole differunt remedia. Veniamus modo ad virulentum.

§. 1060. Catarrhus urethrae virulentus, seu contagiosus, a viro proficiscitur, quod in ipsam penetrat, ejusque membranae mucosae, glandulisque applicatur. Hoc virus inflammationem parit, et hinc fluxum. Apud foeminas in partes verendas agit, et vix ure-

thra afficitur; nam ad ejus orificium extenditur phlogosis. Hic virulentus catarrhus, qui gravior, et diuturnior est, quam simplex, in scholia blennorrhagia venerea, vulgo gonorrhoea dicitur, quod nomen pridem Nosologi adhibuerunt, ut Sauvages, Linnaeus, Vogel, aliique plures. Symptomata morbi plura sunt, et eorum multitudo et diversitas praecipue pendet a varia vehementia illius, aegrotantis temperie et conditionibus, praepostera curatione, erroribus quoad vivendi rationem perpatratis. In diversis autem morbi periodis dissimilis est symptomatum natura; hinc in varia stadia morbus ipse dividitur, idque pro curatione componenda maxime confert. Tres periodos posuit Astruc de morb. vener. tom. I. p. 262. scilicet primam symptomatis inflammatoriis stipatam; alteram hisce imminutis, in qua liberius et minore dolore exit urina, et materia copiosius, faciliusque stillat; tertiam, cum omnis aufugit stimulus, et materia minori copia, et meliori quautitate elabitur. Hanc divisionem periodorum plures scriptores sequuti sunt; sed mihi satius videtur, duas tantum

statuere periodos nempe primam inflammatoriis foenomenis distinctam; alteram, quae incipit, dum illa foenomena dissolvuntur.

§. 1061. Ab aliquo antecedenti signo ut plurimum virulentus urethrae fluxus praenuntiatur, ut post impurum concubitum pruritus ad urethrae orificium, quod etiam fit rubrum et dolens, praecipue dum urina redditur. Paullo vero post aliqua stillat albidae materiei guttula; deinde copiosius fit stillicidium, et materia densa, flavescens, subviridis. Saepe in prima morbi periodo pruritum excipit dolor, et ardoris sensus, praecipue inter mejendum. Dum morbus est levis non alia comparent symptomata, et quae extant, cito evanescunt, dummodo nec in curatione, nec in vivendi modo committantur errores. Dum vero usque ab initio aut per contagii vim, aut per majorem irritabilitatem et sensibilitatem partium, gravior est, continuo surgunt vehementioris inflammationis signa. Tumefit penis, ejusque glans, quae ruberrima cernitur, excruciant dolores, molestae penis erectiones praecipue noctu contingunt, restringitur interna urethrae

membrana, unde mingendi difficultas, et interdum materia fluens sanguine tingitur. Quandoque inflammatio universam urethram invadit, et glandulae Cowperianae afficiuntur. Hic canalis fit admodum dolens, et subinde tenditur penis, et tortuosus ut arcus evadit, qui concavitate spectat inferiora; et tum vulgo dicitur gonorrhoea chordata. Si quis hoc in statu penem arrigere tentaret, curvatura augeretur. Interdum inflammatur prostata, quae tumefit, comprimit canalem urethrae, et urinae excretionem difficilem reddit. Haec inflammatio cognoscitur a dolore vehementi et calore ad perinaeum, desiderio et necessitate saepe mejendi, et urinas guttatim reddendi. Aliquando inflammatio ad membranam mucosam vesicae extenditur, et tum adest dolor et tensio pubis, suscitatur febris, premit mejendi necessitas, quin reddi possint urinae. Dum haec mitescit inflammatio, ex ipsa mucosa vesicae membrana magna quantitas materiei puriformis secernitur, quae cum urinis confunditur. Si autem tam inflammetur praeputium, turgeat, et constringatur, ut retrahi minime possit,

constituitur phimosis ; si ex adverso praeputium retro glandem ita contrahitur, ut non amplius super ipsam reduci possit, efformatur paraphimosis. In utroque vitio quandoque elevantur vesiculae, quae videntur hydatides, bullae crystallinae nuncupatae. In phimosi eminent in superiore praeputii margine; in paraphimosi circa glandis coronam, et fraeni latera. Saepe sponte rumpuntur; aut permanent, et aëre et aqua repletae videntur. Praeterea ratione consensus sub stadio morbi inflammatorio plures afficiuntur partes et organa, ut vesica, glandulae inguinales, scrotum, testes, funiculus spermaticus, perinaeum, anus. Hinc in hisce partibus saepe excruciant dolores, et alia longe plura concitantur symptomata. Dum enim vesica urinaria afficitur, irritabilior fit, et inde necessitas saepe mejendi. Glandulae inguinales tumescunt, et efformatur venereus bubo. Incipit in glandulis cum dolore parvus tumor, qui sensim ita crescit, ut pugni magnitudinem adaequet, et gressum impediat, aut dolentem reddat. Cutis fit rubra, et in affecta parte pulsationes percipiuntur,

et non raro suscitatur febris. Interdum non una, sed plures prehenduntur glandulae, at una aliis magis tumet. Non semper vero bubones tam inflammati prodeunt; nam subinde deest dolor, et cutis pallet. Ubi augetur urethrae inflammatio, per vas deferens extenditur, et etiam testis inflammatur, et interdum utrique testes cum ingenti dolore. Hujusmodi inflammatio dicebatur olim hernia humoralis, testiculus venereus, gonorrhoea in scrotum delapsa, licet vasa lymphatica penis non ad testes, sed ad inguinales glandulas feruntur, unde humor ad illos delabi non potest. Inflammatorius testiculi tumor inter initia mollis est, mox dum crescit fit durus et dolens. Ab hoc saepe occupatur epididymis et testis; vas deferens et funiculus spermaticus tumescunt, et tactu dolent; venae spermaticae varicosae fiunt. Tum etiam alia contingunt symptomata, ut febris, vomitus, dolor. Testium inflammatio etiam oritur, dum forte urethrae fluxus virulentus desistat. Saepe cum hoc fluxu extant ulcera venerea plus minusve inflammata, dolentia, sordida, ex quorum fundo nonnunquam pul-

lulant excrescentiae variae formae et magnitudinis, ut cristae, fici, rhagades, etc. In hominibus praeputium, fraenum et glandem obsident; et ubi efformandum est ulcus, adest dolor, ardor, macula rubra, aut livida, in cujus praecipue centro puncturae sensus percipitur; hinc emicat vesicula dolens, pruriens, latice seroso plena, qui cuticulam cito rodit, et inde nascitur ulcus plus vel minus extensum. Ejus margo callosus fit, et materies crassa, tenax, persaepe lutea, subviridis, raro alba, quae qua transit, aut ubi sistit, aequalia producit ulcera, ex quibus delentur partes. Non raro ab impura copula inducitur materiei virulentae a corona glandis stillicidium, quod ab Astruc spuria gonorrhoea nuncupatur. Hujusmodi venerea affectio saepe consociatur ulcusculis et progignit phimosin. Interdum virulentus urethrae fluxus verus illi coronae glandis componitur, qui praesertim contingit in illis, in quibus glans praeputio tegitur. Etenim materies virulenta facilius inter praeputium et glandem retinetur, ubi partes inflammat, et exulcerat. Po-

steaquam symptomata blennurethriae virulentae per plures hebdomadas restiterunt, imminui incipiunt, et mox omnino desistunt, ut et materies effluens. Quandoque vero haec blennurethria fit habitualis aut chronica, quae etiam per plures annos pergit, et universae ac partialis debilitatis signis stipatur. Non amplius adest dolor et ardor in mejendo; humor labitur plus vel minus densus et copiosus, ut plurimum albus, non raro luteus et subviridis, peculiarem foetorem emittens, nec virulenta indole carens.

§. 1062. Hujusce morbi sedes a fossa naviculari ad aliquem pollicem extenditur, et hoc spatium Hunter extensionem inflammationis specificam appellat. Eo in loco adsunt dolor, ardor, rubor, quo urethrae superficies inficitur; et sub hac inflammatione evolvitur et progreditur fluxus. Aliquando vero inflammatio praefinitam extensionem superat, et usque ad collum vesicae, et ad vesicam ipsam producitur. Ab hac prostata, et interdum vesiculae seminales afficiuntur. In quaestione pridem versabatur, utrum hic virulentus urethrae fluxus ab ulceribus, ex

quibus materies flueret, aut a simplici inflammatione penderet. Diligentiora vero observata luculenter demonstrarunt, nullam in recentibus blennurethriis virulentis existere exulcerationem, sed post inflammationem a viro accersitam alteratum stillare mucum, a folliculis mucosis secretum. Enim vero autopsiis urethrae canalis aliquantisper inflammatus, glandulae mucosae turgidae, et materia fluxus ad exiguam distantiam ab orificio illius canalis reperta est. Tamen etiam ulcera sub vehementi urethrae inflammatione, et suppuratione nascuntur. Sic in blennurethria virulenta habituali et chronica plerumque ulcera non deprehenduntur; tamen interdum formantur ulcera, et materia profluens est purulenta, ut apud Morgagni de sed. et caus. morb. epist. XLIV., Wan-Swieten in Boer. aph. 1447., aliosque videre est.

§. 1063. Contagium est caussa morbi; sed plerique recentiores arbitrantur a syphilitico esse diversum, ideoque ab illo non produci, nisi alium similem fluxum, et nunquam confirmatam luem. Hujusmodi vero opi-

nio non est tam firma ut creditur. Quamvis enim saepe feliciter morbus cessat, tamen si recta non fuerit curatio, et quoad diaeteticum regimen peccetur, exasperatur morbus, habitualis fit, et interdum consequuntur symptomata, quae luem confirmatam declarant, ut artuum et ossium dolores. Evidenter quidem exponi non potest, quomodo unum contagium tam diversis venerearum aegritudinum formis ansam praebeat; sed improbabile non est, quod unum contagium non aequales producat effectus propter diversam hominum constitutionem, contagii vim, partium naturam. Quapropter si contagium in partem agat membrana mucosa tectam, ut est urethra, eam inflammat, et blennurethriam gignit; si in partem mollem et spongiosam, ut penis glans, eam etiam inflammat, et ulcera producuntur; si in partem ubi adsit aliqua continuitatis solutio, absorptionis caussa, sequitur venerea lues. Quaecunque autem sit pars, in quam operetur contagium, ejus actio evanida fit, si in illa non adsit necessaria dispositio. Plures sunt ganeones, qui a lue venerea im-

munes vivunt, quamvis foeda frequentent postribula. Sed ubi adest dispositio, producit consuetos effectus, sed ut diximus varios, probabiliter per differentem partium naturam; multiplicatur ubi haeret; et indolem contagiosam retinet, donec non vincatur remediis. Ut autem a contagio producatur blennurethria, necesse est, ut in urethram penetret, quod sub spermatis ejaculatione absorberi videtur, dum urethra retrahitur. Sed fieri etiam potest, quod contagiosa materies ex glande transeat ad urethram, aut ex suis labiis ad internam superficiem, ut suspicatus est Hunter, cui impossibile visum est, quod sub coitu haec materies introducatur, usque quo morbus extenditur. Tempus quo post susceptum contagium blennurethria comparet, definiri non potest; sed ubi illud est valde efficax, et magna ad eam comparandam dispositio, cito manifestatur, sed raro ante viginti quatuor horas: tardius sub conditionibus oppositis, scilicet post septimam, decimam quartam, vigesimam primam diem, et etiam serius. Quoniam interdum blennurethria viru-

lenta sponte sanatur, aut paullatim contagiosa materies irritandi facultatem, aut affectae partes ad irritationem istam suscipiendam capacitatem perdere videntur; secus sua sponte sanari non posset.

§. 1064. Blennurethria virulenta, si recens, ejusque symptomata mitia, est levis et localis morbus, qui etiam sine remediis evanescit. Sed aliquando dum inflammatio levis est, et parum gravia primi stadii foenomena, diu perstat. Contra si affligunt vehementes dolores, ischuria, stranguria, ulcera, et inflammatio sit vehementissima, efformari possunt abscessus ad urethram, perinaeum, anum, et hinc fistulae, et interdum, sed raro, sequi potest gangraena. Ut plurimum igitur hic morbus periculosus non est, sed aliquando affert discrimen. Facilius convalescunt juvenes, robusti, plethorici, quam senes, tristes, debiles, cacochymici. Difficilior est curatio, si morbus sit habitualis, praecipue si adsit scorbutica, scrophulosa, herpetica diathesis, et universalis debilitas relaxationi partium conjungatur. Sub hoc diutino fluxu eo magis muco-

sae glandulae relaxantur; formantur in urethra callositates, stricturae, quae summam afferunt mingendi difficultatem, et interdum urinae suppressionem. Saepius post diuturnam, quam post brevem blennurethriam, ob relictam urethrae laxitatem remanet molesta gutta per longum tempus, et interdum quoad vivitur persistens, et remediis repugnans. In cursu blennurethriae omnia foenomena ad examen vocabimus. Dum incurvatur penis, fluit sanguis interdum ex urethra, unde maxime imminuitur hujusce curvaturae symptoma. Ubi existunt ulcera, semper timenda est venerea lues. Phimosis, et paraphimosis resolvi possunt; sed in utroque vitio contingere potest praeputii gangraena, et illa glandis in paraphimosi. Haec praenosci potest ex maculis lividis, nigris, ex vesiculis seroso et nigrescente latice repletis. Dum resolutio non obtinetur, sequi interdum potest suppuratio, nunquam fere absoluta; aut scirrhosa durities, quae difficillime resolvitur, et saepe transit in venereum cancrum. In phimosi adhaesio saepe accidit praeputii cum balano. Tam in phi-

mosi, quam in paraphimosi absconduntur ulcera, quae cum non facile curari possint, exacerbantur, et cito dilatantur. Succrescunt praeterea verrucae, condylomata, rhagades, quae majorem timorem inducunt. Si glandulae inguinales per consensum tumescunt, in suppurationem non abeunt, ut si tumeant per materiei venereae absorptionem. Hoc in casu si non resolvitur inflammatio, modo suppuratio sollicita est, ut ubi glandula tumescit, rubet, dolet, pulsat; modo lenta. Bubones non portendunt discrimen, si feliciter in suppurationem procedant. Qui autem nec resolvuntur, nec suppurant, interdum fiunt indolentes, et indolem scirrhosam adipiscuntur remediis reluctantem. Rarissime bubones transeunt in gangraenam. Ubi autem diversarum diathesium adest complicatio; aër est impurus, ut in nosocomiis, curatio est difficilior. Frequenter contingit mala suppuratio, et formantur ulcera maligna, quae cito dilatantur, et extenduntur ad hypogastrium, scrotum, crura, partesque erodunt. Tandem testiculorum inflammatorius tumor, qui ab urethrae irritatione proficisci-

tur, ut plurimum solvitur, si bene curetur; raro sequitur suppuratio, rarius gangraena. Crebro per plures annos remanet durities, quin laedatur sanitas. Dum vero testium inflammatio a represso virulento urethrae fluxu nascitur, resolvitur, si hic restituatur. Testis duritiei succedere potest hydrocele, sarcocele, et cancer.

§. 1065. Pro curatione distinguendum est, quae sit morbi gravitas, et supervenientia symptomata. Si enim est recens et levis, sufficiunt copiosae potiones mucilaginosae, diluentes, refrigerantes, ut decoctiones graminis, hordei cum gummi arabico, florum malvae, violarum; emulsiones seminum melonum, amygdalarum dulcium. Plures hisce potionibus adjungunt nitrum, quod mihi videtur adhibendum non esse. Etenim, ut animadvertit Cullen, si parca detur quantitate, inane, si magna, damnosum est; siquidem quodvis sal aliquam producit irritationem in urethra. Utilia etiam sunt in prima morbi periodo purgantia levia, et emollientes clysteres, ne durae faeces vasa intestinorum comprimant, et in earum laboriosa egestio-

ne irritetur urethra. Victus esse debet simplex, solutu facilis, nullo modo exstimulans; modica corporis exercitatio. Igitur fugienda sunt alimenta aromatibus condita, purum vinum, spirituosi liquores, coitus; secus levis morbus gravior fit. Si vero usque ab initio graviora sunt symptomata, sedulo horum vehementiae gradus est perpendendus, ut belle antiphlogistica methodus aptetur. Quapropter si temperies sit plethorica, vehemens dolor, et calor, maxima mejendi difficultas, febris, et alia inflammatoria signa, prompte secetur vena, applicentur hirudines perinaeo; dentur levia purgantia, et potiones mucilaginosae, diluentes; fiant fotus emollientes, balnea, semicupia; praecipiatur diaeta rigida, totalis a vino abstinentia, perfecta quies. Imminuta vero, aut subacta inflammationis periodo, curatio non amplius ab illa mitioris morbi differt. Cum autem habitualis fit blennurethria virulenta, conveniunt tonica, antisyphilitica, balsamica, et etiam mercurialia, ut decoctio corticis peruviani, sarsae parillae, ligni sancti, syrupus terebinthinae, balsamum Copaivae, Peruvianum, mercurius

gummosus Plench, solubilis Moscati, etc. Juvant etiam injectiones leviter adstringentes, ut compositae ex vitriolo, alumine, salibus mercurialibus, etc. Harum vero usus sit maxime prudens, ne urethrae irritationes et stricturae producantur. Quoniam vero varius est modus, quo ab auctoribus praescribuntur injectiones, eas adhibendi regulas statuere necesse est. Omni tempore viguit cupido blennurethriam virulentam cito amovere remediis; hinc plurimae injectiones fuerunt paratae, quarum aliae ex mercurio dulci, aut sublimato corrosivo, ut virus in ipsa sua sede perderetur; aliae ad dissolvendum, et destruendum mucum, quo implicatur virus ipsum, ut illae a Warren compositae ex alchali caustico in aqua soluto; aliae ab aliis postea conflatae, et non solum anteaquam blennurethria appareat, sed in quavis ejus periodo adhibendae. Hujusmodi remedia hoc modo usurpata, an sint nocua vel utilia, quisque videt. Recentiores Angliae scriptores maturas proponunt irritantes injectiones, ut virus decomponatur, ejusque virulenta indoles deleatur, priusquam suos progignat effe-

ctus. Hoc modo inducta majore, quam venerea, irritatione, et usque ab initio specifica actione partium eversa, qualitatem materiei venenatam irritam fieri, morbumque in ipsis suis incunabulis rescindi existimant. Idcirco alii levem proponunt solutionem potassae, sodae, aut calcis; alii granum muriatis mercurii super oxygenati in unaquaque liquidi uncia; alii sulphatis zinci, acetatis plumbi usum. Licet vero hujusmodi methodus utilitatem quandoque attulerit, ut auctores fide dignissimi testantur, inter quos Alibert, qui infectionis germen sulphate zinci, et acetate plumbi extinctum vidit, tamen non amplectenda mihi videtur. Etenim dum irritantes injectiones irritationem venerea majorem edunt, cum maximo etiam aegrotantium discrimine urethram inflammare queunt, potissimum apud homines admodum irritabiles et sensibiles, quin veneni effecta, saepe numero promptissima, impediant. Praeterea tam levis interdum est blennurethria venerea, ut etiam sua sponte, aut simplicissima methodo evanescat. Omissis igitur injectionibus ad praecavendum morbum compositis, videamus

quae et quomodo absque damno sint adhibendae. In prima morbi periodo nunquam injectiones adstringentes conveniunt, sed potius eligantur emollientes, quae affectae partis dolorem, et irritationes ab urinis suscitatas mulcent, ut ex simplici decocto malvae, aut althaeae, aut cum oleo amygdalarum dulcium; vel ex aqua et lacte; vel solutione gummi arabici. Si in hoc morbi stadio injectiones adstringentes adhiberentur, nullo negotio tumescerent testes, et alia insurgerent symptomata. Illae solum expediunt versus morbi finem, aut cum in longum procedat stillicidium; sed semper caute usurpentur. Quapropter incipiatur a mitioribus, quae neque conveniunt, si qua in testibus ad tumorem dispositio deprehendatur; aut adsit aliqua urethrae strictura; aut aegri sint nimis irritabiles et sensibiles. Mitiores fiunt ex aqua rosarum, plantaginis cum melle rosaceo; efficaciores ex grano sulphatis zinci in aquae distillatae uncia, aut ex octo vel decem granis acetatis plumbi in totidem unciis hujusmodi aquae. In inflammatoria morbi periodo etiam fugiantur mercuriales in-

jectiones, quae solum utiles esse possunt in pertinaci fluxu, et ubi de urethrae exulceratione suspicamur. Hisce imminuitur materiae fluxus, sanantur ulcera, aliaque vincuntur symptomata. Componi solent ex mercurio dulci, aut grano mercurii sublimati corrosivi vel in lacte, vel in aqua mucilaginosa soluto. Post blennurethriam virulentam saepe remanet guttula, quae cito et sponte desinit, si illa brevis fuerit; quod non evenit, si diuturna. Tum injectiones adstringentes locum habent, siquidem glandulae mucosae ingentem relaxationem subierunt. Ut autem universale systema, et partes roborentur, martialia, balnea frigida, aquae minerales ferrugineae, campestris aër, victus nutriens maxime juvant. Si fluxus urethrae virulentus cum fluxu coronae glandis complicetur; hic tempore inflammationis lotionibus, et immersionibus penis in decoctione tepida malvae, vel althaeae aut simplici aut cum lacte; deinde inflammatione devicta hydrargyrosi curatur.

§. 1066. Hactenus de generali blennurethriae virulentae curatione diximus, ad il-

lam modo praecipuorum et frequentiorum symptomatum descendamus. Curvatura penis, aut chorda, vel est inflammationis, vel spasmi effectus. In primo casu secetur brachii vena, affectae parti applicentur hirudines, cataplasmata emollientia, fotus, vapores aquae calidae; in altero fotus chamomillae, opium, ejusque composita, cortex peruvianus, cujus efficaciam confirmavit Hunter, emolumento sunt. Si inflammata sit prostata, ut ab expositis signis cognoscitur, perinaeo admoveantur hirudines, porrigantur laxantia, injiciantur emollientes clysteres, fiant fotus et semicupia. Etiam pro phimosi, et paraphimosi convenit antiphlogistica methodus plus vel minus extensa. Si inflammatio non sit tam vehemens, sufficiunt cataplasmata emollientia ex seminum lini farina; vel malva, medulla panis, et lacte, quibus mox addi potest saturni extractum. Si vero inflammatio sit ingens, sanguinis missiones ex brachio, hirudines parti applicitae, lenia purgantia, fotus et cataplasmata emollientia, balnea penis ex aqua tepida et lacte, aut decoctione malvae, perfecta quies, victus

tenuissimus, opem ferunt. Penis autem super pubem subversus servetur, quo sanguis facilius per vasa permeet. Praeterea necesse est inter praeputium et glandem tepidum lac injicere, aut egelidam aquam cum lacte, aut malvae vel hordei decoctionem, ut illae partes ab impura materie abstergantur. Haec enim nisi auferatur, ulcera produci queunt. Si autem jam extent ulcera, fiant injectiones mercuriales, praecipue ex mercurio sublimato corrosivo, scilicet ex hujus grano in aquae destillatae uncia. Si in phimosi et paraphimosi emergant bullae crystallinae, aut sponte rumpuntur, aut inciduntur forficibus, et deinde aqua hordei cum melle rosaceo abluuntur. Cum imminuitur tumor, chirurgia docet quomodo in phimosi detegenda, in paraphimosi tegenda sit glans. Docet etiam quomodo fit operatio, si in utroque vitio inutilis fuerit antiphlogistica ratio; si inflammatio, strictura, et strangulatio persistant, et gangraena timeri debeat. Si vero phimosis et paraphimosis oedematosa sit, juvat aqua calcis, solutio aluminosa. Si utraque sit pertinax, leves instituantur scarificatio-

nes ; deinde fiant fotus chamomillae , et cataplasma ex resolventibus farinis apponatur. Si praeputium remaneat durum et callosum , multa ad hanc resolvendam duritiem invenitur difficultas ; tamen linquendi prius non sunt fotus ex aceto simplici , aut cum sale ammoniaco ; deinde unctiones mercuriales. Interdum in phimosi callosus praeputii apex impedit , quominus illud retrahatur ; hoc in casu circumcisura expedit. In paraphimosi saepe evenit , quod gangraena invadat glandem , et tum aut sponte , aut facile arte divellitur. Si cum blennurethria virulenta adsint ulcera , opus est externa et interna adhibere remedia. Quoad prima , antea sint mitia , cum scilicet in initio inflammata sunt ulcera , conferunt prius lotiones et cataplasmata emollientia ; deinde unguentum digestivum , ut promoveatur suppuratio ; tandem caustica , praecipue lapis infernalis : mox iterum locum habent lotiones emollientes , unguentum digestivum , ut separetur eschara , excitetur suppuratio , et impediatur illa levis inflammatio , quam caustica concitant. Si autem ulcera resistant , et ad dila-

tationem inclinant, in usum vocetur unguentum mercurio dulci, aut praecipitato rubro compositum. Arduum est sanare ulcera, quae comitantur phimosin, nec semper injectiones valent. Tum opus est praeputium incidere, aut circumcisionem facere. Quoniam vero ab ulceribus saepe oritur venerea lues; omittenda non sunt remedia interna, maxime mercurius, et antisyphiliticae decoctiones. Sed mercurii usus tam internus, quam externus differri debet, si vitanda salivatio incipiat, et penis compareat inflammatio. Interdum ulcera venerea fiunt phagedaenica; suppuratio abundans, dolorosa, profunda; excitatur febris: tum exterius applicentur cataplasmata emollientia, lintea madida ex decoctione corticis peruviani, chamomillae, papaveris; interius administrentur decocta sarsaeparillae, ligni sancti, aliqua corticis peruviani praeparatio, et ad dolores et irritationes leniendas opium, ejusque composita. Si post ulcera prodeant excrescentiae carnosae, quae habeant angustam basim, fieri potest ligatura; si vero basis sit ampla, et illae numerosae, caustici usus con-

venit. Si inflammentur testes, mittatur sanguis, scroto apponantur hirudines, dentur purgantia, aeger cubet, sed suspendantur testes, ne proprio distendantur pondere, quies conservetur. Sed post inflammationem testium saepe remanet aliqua durities, solutu difficilis. Ut vero resolvatur, fiant fotus ex decoctione florum sambuci, chamomillae; applicetur cataplasma ex farina fabarum, aut ex illis resolventibus, aut ex cicuta; vel inter caetera quae laudantur, sed saepe effectu carent, tam interius, quam exterius adhiberi potest cicutae extractum. Plures adhibent mercuriale unguentum, quo scrotum inungunt; sed nescio qua utilitate; nam vasa absorbentia scroti ad glandulas inguinales feruntur. Etiam pro usu interno decoctio radicis ononidis spinosae, corticis mezerei utilis est. Si autem testium tumor non imminuitur, fitque magis durus et indolens, tum est perfectus scirrhus, et remedium est amputatio. Si enim fortiora discutientia remedia tentarentur, in cancrum posset abire. Dum autem testium inflammatio suppuratione terminatur, in eam expedit consueta me-

thodus; et cum abscessus ad maturitatem pervenerit, in decliviore parte est incidendus, et inde ut caeterae suppurationes curandus. Si testis tumor nasci videatur a suppressione fluxus, quidam candelis in urethram missis hunc revocare student; alii in illam introducere materiem virulentam suadent, ut novus excitetur fluxus. An prima ratio utilis sit, nescio; secunda reprobanda videtur. Hoc in casu praecipienda sunt balnea penis ex calida decoctione malvae; et hoc simplici modo interdum revocatur materiei stillicidium. Si glandulae inguinales tumescant, et formentur bubones, tentanda est resolutio. Cum cutis admodum sit inflammata, proximis partibus applicentur hirudines; exhibeantur levia purgantia, fiant fotus et balnea. Si vero desint inflammationis signa, unctiones mercuriales ad partem internam coxarum conveniunt; sed secundum aegri naturam, morbi gradum, et mercurii effectus adhibeantur. Nonnulli enim sunt, qui mercurio prompte afficiuntur. Idcirco satius est a parva quantitate incipere, nimirum a dimidio vel scrupulo, et deinde illam usque

ad dimidiam vel drachmam augere. Unctiones autem vel quotidie, vel alternis diebus, vel tridno fieri possunt, et vespere prius quam aeger cubatum eat. Sed unctiones linquantur statim ac glandulae salivales afficiuntur, et salivatio comparet. Tum levis purgatio porrigatur ex pulpa cassiae, et gargarismata ex aqua hordei et melle rosaceo praescribantur. Soluta vero glandularum salivalium affectione, et salivatione compressa, iterum unctiones mercuriales fiant, et hic modus usque ad absolutam bubonis resolutionem teneatur. Victus sit tenuis, ut jura, pulmenta, cremores oryzae, gelatinae, ova sorbilia; aeger abstineat a vino, et decoctiones hordei, graminis, emulsiones seminum melonum, amygdalarum dulcium hauriat in die. Si autem bubones in suppurationem propendeant, haec emollientibus cataplasmatibus est promovenda, et cum abscessus maturus sit, vel ferro, vel caustico aperiatur; sed melius est illum rescindere lanceola, et satis amplam facere aperturam, ut libere exeat pus; mox ut reliqui abscessus curationem postulat. Non semper vero

vulnus ad cicatricem facile perducitur; sed interdum fit spongiosum, et acrem et saniosam emittit materiem. Si bubones in ulcera rodentia degenerent, exulceratae partes decoctione corticis, chamomillae, papaveris perfundantur; applicentur cataplasmata emollientia; et identidem aliquantum praecipitati rubri aspergatur. Ad internum usum decoctiones peruviani corticis, sarsaeparillae, ligni sancti, mezerei; extractum cicutae, peruviani corticis, vel ejus substantia; opium ad irritationes sedandas juvant. Victus sit levis, et nutriens; modica vini quantitas concedatur; aër sit purus. Si bubones scirrhosi evadant, unctiones mercuriales sunt valentissimum auxilium; tamen interdum tumor remanet magnus et durus. Hoc in casu Astruc aquarum mineralium stillicidium commendat. Ubi adhibetur mercurius, diligenter vitentur salita, et nimis condita alimenta, liquores spirituosi, humidus et frigidus aër. Ab hisce aëris qualitatibus interrumpitur perspiratio, et eodem tempore fieri potest, quod mercurius ad viscera nobilia summo aegri discrimine fera-

tur. Saepe in blennurethria virulenta per diversas caussas urinae exitus praepeditur. Si id in primo stadio ab urethrae inflammatione nascatur, quid sit faciendum jam vidimus; si a prostatae inflammatorio tumore, prosunt hirudines perinaeo applicitae; si a constrictionibus urethrae, vel carunculis, quae in ipsa nascuntur, adhibenda est ex gummi elastico candela. Siquidem interdum subtiliores candelae in urethram penetrare nequeunt, causticum laudant Angli, quorum primus fuit Hunter, deinde Home, tandem alii plures, variasque proposuerunt methodos. Quivis vero sit modus, causticum est rejiciendum, quia urethra est admodum sensilis, delicata, et cum toto systemate consensum habet. Dum subtilior candela in urethram ingredi nequit, tentanda est chorda musica, quae oleo uncta interdum hujusmodi angustias superat. Si constrictiones urethrae omnino pendeant a spasmo, emollientia, anodyna, ut balneum calidum, fotus ex decoctione chamomillae, et papaveris, opiata utilia sunt. Proposuit Clin muriatis ferri tincturam, quae ad paucas guttas pluries detur in die, do-

nec observentur effectus. Etenim post aliquot horas aeger dejectus et tristis apparet, et inde libere effluunt urinae. Si vero in caussa sit ingens urethrae inflammatio, quae introductionem candelarum, vel catheteris impediat, ad vesicae punctionem recurrendum est methodo, quae opportunior videatur; nam vel per rectum intestinum, vel ad perinaeum, vel ad pubem, secundum varios casus perfoditur vesica. Tandem ab urethrae ulcere intolerabilis dysuria interdum producitur. Tum candela cava ex gummi elastico, aliquo unguento illita immittatur, ut ab urinae transitu ulcus defendatur.

GENUS SEXTUM

Leucorrhoea

1067. Leucorrhoea sive fluor albus est materiarum mucosarum, serosarum, aut puriformium ex utero vel vagina profluvium. Alia a novissimis scriptoribus huic morbo imposita fuerunt nomina, ut illud medor-

rhoeae a P. Franch; blennorrhagiae vaginalis et uterinae a Swediaur; sed nos cum plerisque nomen leucorrhoeae retinebimus, et secundum Sauvages, et Alibert in simplicem et virulentam dividimus, non secus ac blennurethriam, cum qua multam similitudinem habet. Ettmullerus non solum urethrali hominum catarrho, sed etiam aliis catarrhis comparavit leucorrhoeam; et recentiores eam inter catarrhos adnumerant. Nos de leucorrhoea loquuturi a simplici ordiamur, quae propter organicam mulierum structuram familiaris est. Interdum enim caussae leves in sanis etiam et robustis mulieribus eam producere valent, licet tum est levissima affectio, quae ut mites catarrhi saepe sponte desinit. Nostris temporibus inter urbium incolas propter plurima alimentorum et vestium vitia, et defectum exercitationis corporis communissima est, praecipue in regionibus humidis et palustribus ob repressam perspirationem, et universalem corporis infirmitatem ab humido et palustri aëre inductam. In perfecto salutis statu partes mulierum generationi dicatae sunt muco et humo-

ribus madidae, qui ab earum superficie separantur, quin sequatur fluxus; dum vero ejusmodi humores copiosius quam par est secernuntur, et a verendis partibus delabuntur, constituunt fluxum, de quo sermonem habemus. Hic autem fluxus modo continuus est, modo recurrens; ejusque materies quoad quantitatem, et qualitatem admodum varia. Etenim materies ista nunc continue et ubertim fluit, nunc ad intervalla, nec tam copiosa; nunc albida, flavescens, subviridis; nunc inodora, aut foetida; nunc tenax glutinosa, aut soluta, ut ichor; nunc blanda, aut tam acris et mordax, ut partes in quibus consistit, aut per quas transgreditur, inflammet et rodat. Haec varietas persaepe nascitur a diversa morbi periodo, gravitate, caussis, complicationibus. Leucorrhoea simplex manat ab utero, et vagina, ut signa et sectiones pathologicae ostendunt. Nonnulli negant, hunc morbum ab utero scatere; sed quia firmis non innituntur rationibus, quaestionem de leucorrhoeae sede missam facimus. In pluribus vero casibus a vagina tantum exilire certum est,

ut ab illius relaxatione compertum habemus.

§. 1068. Leucorrhoea simplex in primariam, symptomaticam, secundariam distribuitur. Primaria saepe est nullius momenti affectio, scilicet fluxus humoris mucosi et serosi, non foetidi, non acris, quem nec praegrediuntur, nec comitantur alia symptomata, aut solum quaedam levissima, ut aliqua ventriculi molesta sensatio, et inappetentia. Tam mitis fluxus accidit mulieribus bonae temperiei, et partn vel abortu frequenti, vel aegritudinibus haud fractis: nascitur a caussis levibus, ut ab ardenti rerum venerearum cupedine, aut a vivida in hisce fruendis voluptate; ab alimentis nimis exstimulantibus et acribus; a menstruis accedentibus, vel cessantibus, etc. Est saepe etiam gravior morbus, dum scilicet diu protrahitur, et copiosa fluit materies, quod praecipue mulieribus evenit debilibus, annosis, et illis, quae nimiis venereis amplexibus, animi affectionibus, abortibus, pravis et parcis alimentis eliduntur. Tum plura adsunt symptomata, quae ab universali et partiali debilitate, et

a consensu quo ligantur partes, proficiscuntur. Interdum praecedunt lumborum dolores, universalis laxitas, errabundi dolores et illi articulationum, ventriculi languor, et aliquis etiam febrilis motus. Interdum vero continuo incipit fluxus, stipaturque symptomatibus, quae cum ipso morbo increscunt, ut sunt debilitas, appetitus defectus, dyspepsia, ructus, vomitus acidae materiae, venter modo stipatus modo solutus, menstrua nunc supprimuntur nunc perseverant. Ut plurimum inter initia fluit humor mucosus et serosus majori vel minori copia, pallidas maculas in linteis relinquens. Hujusmodi humor copiosius labitur cum mulier lectum deserit, aut nititur in egerendis faecibus, aut sese exercet. Modo autem hic fluxus adaugetur, modo imminuitur, modo interrumpitur, et periodicus est, modo menstruorum vices gerit. In decursu autem mutatur color et qualitas fluentis materiae, quae fit sublutea, viridescens, foetida, acris, rodens, et lintea maculis flavescentibus et viridescentibus inficit. Accedit corporis pallor, extremitates tumefiunt, oculi circumdantur halone plum-

beo et excavantur, dolores lumborum augentur. Saepe materies fit acerrima et foetidissima, praecipue si inter vaginae plicas aliquandiu stagnet; et tum supervenit molestissimus partium pruritus, ardor, tumor, phlogosis, unde mulieres non amplius coitum sustinent. Dum vero materies non est tam acris, non solum non molestat pruritus, et phlogosis, nec coitus est intolerabilis, sed etiam interdum concipiunt, at abortum facere solent. In diuturnitate morbi ampliantur symptomata, quae ab universali et partiali debilitate nascuntur, ut tristitia; respiratio anxia, praecipue motu corporis, quem vero effugiunt; somnolentia; somnus visis abruptus; palpitatio cordis; corporis consumptio; hydrops, et oedema universale; febris lenta; nocturni sudores; pulsus debilis, parvus, frequens, inaequalis. Saepe uterus descendit, et prolabitur; urina immiscetur materiis fluentibus, unde turbida et jumentosa fit, ac sedimentum mucosum deponit, aut in ipsa flocci, vel fila continentur. Etiam in simplici leucorrhoea subinde intercipitur urinarum cursus: id evenit dum inflammatur

vagina, et sub hac inflammatione etiam urethra inflammatur. Interdum autem tam copiosa profluit materies, ut impediatur incessus. Si leucorrhoea sit symptomatica, cognoscitur a signis, quae primarium morbum declarant. Si ab ulceribus uteri nascatur, dolores affligunt plus vel minus graves; materiae fluentes male olent, et saepe sanguineae sunt; internus adest ardoris sensus: si vero ulcera sint cancerosa, praecedere solent metrorrhagiae cum doloribus, qui fiunt atrociores, lancinantes, assidui; materiae sunt ichorosae, saniosae, foetidissimae; redeunt absque ordine metrorrhagiae, pressione exasperantur dolores: si ulcera sint fungosa, praeterquam materiae sunt saepe sanguineae, et frustula continent substantiae carneae, exploratione comperitur fungus, aut cervici, aut internae uteri superficiei adhaereat, cujus pedusculus absconditur in utero ipso, capitellum per vaginam liberum extenditur. Sic si leucorrhoea a vitiis aliarum partium oriatur, ut ab illis spinae lumbaris; aut ab aliis affectionibus, ut ab acidis ventriculi saburris. Leucorrhoea secundaria distin-

guitur, si represso aliquo morbo, ut coryza, appareat, aut materies aliqua morbosa, ut podagrica, rheumatica, impetiginosa, scrophulosa, primariam linquat sedem, et ad uterum feratur.

§. 1069. Non semper leucorrhoea simplex a virulenta facile discernitur. Decipiuntur qui ab aspectu fluentis materiae fluxus istos distingui arbitrantur. Haec enim admodum varia est; et saepe quae observatur in virulenta leucorrhoea non differt ab illa simplicis, et viceversa. Quamvis in simplici ut plurimum sit magis viscosa et glutinosa, in virulenta tenuior; tamen aliquando in illa est tenuis et soluta, in hac tenax. Modus vero, qui ad dijudicandum de hisce morbis rectius conducit, est praecipuorum symptomatum comparatio, ut sedulo fecit Fuller, postea alii plures. Generatim leucorrhoeam simplicem praecedit, et comitatur lassitudo, lumborum pondus; materies fluxus in initio esse solet glutinosa alba, deinde sublutea, inodora, nec acris; sed in progressu foetorem et acredinem acquirit; in reddendis urinis nullus premit dolor. Contra in leucorrhoea virulenta usque ab

initio cruciant in mejendo dolores, ardores, stranguria; materies fluxus est multo minus copiosa. Inquit P. Franch difficultatem diagnosis augeri, si humor fluens in simplici medorrhoea sit acris, rodens, et exulceret partes mulieris, et hominis, qui cum ea rem habuit, et urethralem medorrhoeam inducat. Hoc vero raro evenit, et ubi talia producantur incommoda, sunt benignae naturae, et facile consanescunt. A materie acri reddita in diutina leucorrhoea simplici nasci ulcera pluries vidi; quae vero sunt potius decorticationes non dolentes, nec ad dilatationem inclinant, sicut ulcera venerea.

1070. Caussa leucorrhoeae simplicis primariae est ut plurimum universalis debilitas, sed in utero et vagina spectabilior. Per hanc major humorum quantitas secerni videtur, qui haud absorpti, majore vel minore vi delabuntur. Interdum vero leucorrhoea proficiscitur à plethora et ab irritatione, ut in mulieribus robustis, salacibus, et optimae temperiei. Nulla aetas, nullum temperamentum, nulla conditio mulieres ab hoc fluxu reddit immunes. Etenim infantes, vir-

gines, nuptae, annosae, debiles, robustae, gravidae, puerperae huic fluxui sunt obnoxiae. Magis vero dispositae sunt debiles, cacheticae, molles, otiosae, vetulae. Caussae occasionales sunt quae inducere possunt generalem et localem debilitatem, aut vasa uteri irritare, et majorem sanguinis affluxum arcessere, et sensibilitatem augere, ut frequentes partus, abortus; metrorrhagiae; prava alimenta; abusus spirituum, aromatum, balneorum calidorum, purgantium drasticorum; aër humidus, palustris; immodica venus, et infandum tribadum vitium, illarum scilicet, quae in suo sexu exercent libidinem; deprimentia animi pathemata; pedum refrigeratio; variae cachexiae; violenta corporis exercitatio; vestes nimis angustae, aut sub tempestate frigida nimis leves; ubera non concessa proli; nuptiae praematurae; continuus sub vestes caldarii usus; etc. In gravidis non raro exilit albidus humor, tempore praesertim, quo fluere solebant catamenia. In puerperis etiam contingit hujusmodi cursus ob secundinarum reliquias, quae in utero restiterunt. Leucorrhoea symptoma-

tica nascitur ab aliis morbis uteri, aliarumque partium, quae cum eo consensum habent. Secundaria etiam ab antecedentibus morbis oritur, ut sunt catarrhorum suppressiones; impetiginum retrocessus; materiae podagricae, rheumaticae, etc. metastases.

§. 1071. Cum leucorrhoea primaria mitis est, facile curatur, ut illa, quae praecedit aut sequitur menstrua, aut in virginibus ob vitiosam menstruationem contingit. Ex adverso difficile curatur, et gravia infert incommoda, quae nascitur a caussis efficacioribus, et est pertinax et diuturna, et in temperamentis debilibus, et provecta aetate cadit. Tum non raro uteri et vaginae prolapsus, sanguinis jacturae, oedemata, hydropes, consumptio, febris lenta consequitur. Nihilominus non desunt mulierum exempla, quae sine gravi salutis damno per totum vitae cursum leucorrhoea afficiuntur. Inter hujusce pertinacissimi morbi effectus est sterilitas, et abortiendi proclivitas, si mulieres concipiant. Praesertim sterilitas timenda est, si leucorrhoea in cachecticis, et

ante pubertatem appareat, et diu persistat, et saepissime reproducatur. Plures etiam pravi effectus timeri possunt a praepostera curatione, et praesertim incauto remediorum adstringentium usu. Hisce enim considerate agendum, secus graviora suboriuntur mala, ut pulmonum catarrhi, affectiones nervosi systematis, herpetes, etc. Praeterea animadvertendum est, quod mulieres cum hoc fluxu facile contrahunt habitudinem, et nonnunquam ab aliis gravioribus morbis per istum liberantur. Varium autem est leucorrhoeae symptomaticae praesagium, siquidem primarii morbi modo leves, modo graves sunt. Idcirco si ab acidis ventriculi saburris proveniat, expedite vincitur; contra est insanabilis, si primarius morbus sit inemendabile uteri vitium, ut ulcus carcinomaticum. Tandem secundaria interdum utilis est, si a gravioribus vindicat morbis, ut a pulmonum, oculorum, nervorum affectionibus; sed interdum ubi diu manet, eosdem ac primaria leucorrhoea effectus parit.

§. 1072. Ut rectam leucorrhoeae primariae curationem faciamus, ejus caussas

rimari debemus. Itaque in illam ab universa et locali debilitate natam roborantia valent, sed gradatim usurpanda; ut interius cortex peruvianus, martialia, amara, vinum, praeter nutrientem diaetam, purumque aërem; exterius balnea frigida, frictiones in abdomen et lumbos, etiam in regionem lumbarem frigidae stillicidium, injectiones ex decoctione corticis peruviani, et herbarum aromaticarum in vaginam. Proponuntur etiam injectiones ex aqua frigida, ut laventur, et roborentur partes; sed ob momentaneam materiei fluxus, quam producere possunt, cohibitionem, respuendae mihi videntur. Purgantia nunquam conveniunt, utpote debilitantia; sed si lateant gastricae sordes expediunt mitiora, maxime rhabarbarum. Emetica vero semper praeferantur, siquidem admodum utilia deprehenduntur. Alia quoque remedia ad internum et externum usum praescribunt auctores, quae pro re nata possunt adhiberi, ut camphora, opium, decoctio rosmarini, extractum baccarum juniperi, cerata attrahentia ad lumbos, ut illud ex pice nigra secundum Weichard, etc. Si vero

leucorrhoea sit valde pertinax, fiant injectiones ex aqua plantaginis et aliquot granis sacchari saturni, aut vitrioli et aluminis, etc. Laudantur a quibusdam auctoribus suffitus ad vaginam ex herbis aromaticis, thure, mastice; sed ab hisce irritari partes, ac morbum pejorem fieri pluries vidimus. Rursus si leucorrhoea proficiscatur a statu corporis plethorico, et ab ingenti irritatione, praesertim uteri, sanguinis missio locum habet, et refrigerantia remedia. Deinde vero, si subacta plethora fluxus permaneat, ad roborantia transeundum. Dum leucorrhoea est mitissima, ut quae per aliquod tempus fluxum menstruorum sequitur, sponte evanescit; hinc naturae est committenda, et solum regulae in diaetetico regimine sunt praescribendae. Interdum vero leucorrhoeae aliae conjunguntur diatheses, ut scorbutus, syphilis, scrophulae, herpetes, etc. Hisce in casibus etiam illa conveniunt, quae in has diatheses pollent, ut mercurius, si complicatio sit cum lue venerea. Si leucorrhoea sit symptomatica, curandus praecipue est primarius morbus. Si itaque existant in ven-

triculo acidae saburrae, absorbentia et lenia purgantia, ut magnesia, satis sunt; si retardentur menstrua, juvant quae haec sollicitant; sed si ulcus uteri cancerosum extet, fieri non potest, nisi palliativa curatio, quae diaeta lactea, ex opio compositis, injectionibus ex decoctione hordei cum melle continetur. Denique si leucorrhoea sit secundaria, remedia differunt ut primarii morbi natura. Quapropter si a podagrico, aut rheumatico humore oriatur fluxus, praeter quae in has diatheses valent, vesicantia, et cauteria maxime expediunt. Sed ubi morbus primarius leucorrhoea pejor est, hanc oportet non reprimere; secus morbi materies ad alias partes cum periculo migraret. Ast satis de leucorrhoea simplici; ad virulentam descendamus.

§. 1073. Contagiosa materie in vagina suscepta, paucos post dies suscitantur symptomata, quae leucorrhoeam virulentam constituunt. Ejusmodi fluxus modo mitis, modo gravior est, sed nunquam blennurethriae virulentae virorum gravitatem attingit. Cum mitis est praenuntiatur sensu pruritus, potius jucundo quam mole-

sto circa orificium vaginae, qui ad renovandas venereas voluptates suadet. Deinde comparet humoris albidi, pellucidi stillicidium absque dolore, et vix aliquis ardor in mejendo molestat. Quoniam minima est affectarum partium irritatio, et materies fluxus est mitis naturae, facile obtinetur sanatio, dummodo non commitantur errores, praesertim in diaeta. Cum vero gravior est plura esse possunt symptomata majoris vel minoris momenti, secundum vim virulentae materiae, et statum sensibilitatis et irritabilitatis partium. Incipit ingenti pruritu, calore, ardore, rubore, et dolore vaginae; quae symptomata dum intensiora fiunt, intolerabilem coitum reddunt. Urget mingendi desiderium; sed cum urina redditur, vehemens dolor et ardor movetur. Extenditur inflammatio ad carunculas myrtiformes, nymphas, clitoridem, orificium urethrae, magna labia, praecipue si materia stillans sit acerrima; tum nec levis tactus, nec gressus, nec sessio perferri potest; et ubi inflammatas partes tangat urina, acerbus concitatur dolor. Subinde ob magnam irritationem arcte contrahitur vagina; involuntaria

et molesta contingit clitoridis erectio. Subinde glandulae mucosae labiorum inflammatae parvos formant abscessus, qui prope vaginae orificium rumpuntur. Subinde uterus, vesica urinaria, renes per consensum afficiuntur, ut ad regionem hypogastricam, ad pubem, et ad lumbos dolores ostendunt. Ut plurimum materia fluxus a vagina, interdum etiam ab urethra manat. Primum est albida et pellucida; postea lutea, subviridis, acris, foetens, raro sanguinea. Facile excurrit ad anum, et hinc etiam eo in loco idem producitur fluxus, et ulcera. Cum autem decrescit, et cessat phlogosis vaginae, aliarumque partium circumpositarum, exposita symptomata extenuantur, et abeunt; sed fluxus aliquandiu perseverat, qui paullatim fit albicans, et denique omnino desistit. Saepissime vero hujusmodi fluxus ob laxam, mollem, et spongiosam vaginae structuram, quo tot viscosi humores conveniunt, ob recurrentium menstruorum irritationem, ob virus inter vaginae rugas defixum, et etiam ob neglectam curationem chronicus fit, et saepe per plures menses, et annos persistit. Materies vero

hujusce fluxus ut plurimum est parca, albida, glutinosa, inodora; et quamvis interdum indolem contagiosam amittit, tamen interdum hanc retinet, ut observata confirmant. Errore igitur ducuntur, qui in hominibus blennurethriam virulentam chronicam, et in mulieribus chronicam leucorrhoeam virulentam, non amplius esse contagiosam existimant. Ex his quae diximus patet, sedem hujusce morbi esse plerumque in membrana mucosa vaginae, et aliquando etiam in illa urethrae; et ab hac inflammata membrana ad partes circumpositas inflammationem extendi: tamen interdum solum afficiuntur externae partes, cum scilicet hisce solis applicatur contagium; idque evenit dum coitus est imperfectus. Etenim cum penis in vaginam non introducitur, in hanc contagium non ingreditur; et tum mucus puriformis nec a vagina, nec ab urethra, sed a vaginae orificio, nymphis, et interna magnorum labiorum superficie scaturit. Insuper observandum est, quod in decursu blennurethriae virulentae in hominibus, et leucorrhoeae virulentae in foeminis, plura excitantur symptomata, quae

communia sunt, ut tumor inflammatorius partium genitalium, tumores partium adjacentium, bubones, ophthalmiae, excrescentiae, ulcera, dysuria, etc. et alia quae propria sunt alterutrius sexus, ut in hominibus haemorrhagia urethrae, phimosis, paraphimosis, tumor inflammatorius testium; in foeminis inflammatio uteri, et partium, quae ab eo dependent.

§. 1074. Leucorrhoea virulenta spontanea non est, sed effectus introducti contagii. Ad hunc contrahendum morbum major vel minor dispositio observatur in foeminis, quae forsan a quodam partium sensibilitatis gradu proficiscitur, unde plus vel minus contagii actio persentitur. Interdum mulieres diu servant inter vaginae plicas contagium absconditum, quin ejus experiantur effectus, et interim hominibus communicant morbum, sicut testantur exempla. Interdum contagium vix aliquem inducit exitum muci; nec cognoscitur existere morbum nisi quia eadem facilitate, ac si secretio infectae mucosae materiae evidentior esset et copiosior, communicatur morbus ipse. Ad leucorrhoeam au-

tem virulentam habitualem magis dispositae sunt mulieres, quae pluries enixae sunt, et quae aut leucorrhoea simplici, aut virulenta plus semel laborarunt. Partes enim debilitatae amissum robur difficilius recuperant.

§. 1075. Sponte etiam sanatur leucorrhoea virulenta, si mitis est, nec patrentur errores; sed nullo negotio in illis habitualis fit, quae ad hanc dispositionem habent. Generatim hic fluxus est minus vehemens et inflammatorius, quam in hominibus; ideoque symptomata ad tantam non perveniunt violentiam. Et re quidem vera minores sunt dolores, levior est dysuria; nam in foeminis urethra est brevis, larga, parum aut nihil compressa, et in hac fere nunquam, ut in urethra virili carunculae, hypersarcosis, callositates efformantur: involuntaria clitoridis erectio non adeo dolorosa est ut illa penis; nam illius moles valde minor, et vasa non tam ampla sunt; et clitoris ab urethra distat. Nihilominus interdum leucorrhoea virulenta est interdum vehementissima, et periculo plena, si uteri inflammationem afferat. Sed quamvis ad hanc vehementiam raro

pertingat, semper difficilioris quam blennurethria virulenta in hominibus curationis est propter partium affectarum naturam. Et dum curationi resistit, et per plures annos extenditur, consequi potest confirmata lues, ut hujus praeclara ostendunt signa, quamvis a nobis plures recentiores seorsum sentiunt.

§. 10 Curatio ab illa blennurethriae virulentae dissimilis non est. Verum animadvertere debemus, licet in primo inflammatorio stadio methodus antiphlogistica requiritur, non tam urgere mittendi sanguinis necessitatem; nam ut vidimus raro leucorrhoea virulenta tanta inflammatione stipatur. Tamen si haec sit vehemens, et ad uterum extensa in primis opportunae sunt venae sectiones. Sed ut plurimum curatio consistit in copiosis potionibus, semicupiis, eccoproticis, clysteribus emollientibus, injectionibus ex aqua hordei, malvae, ex aqua hordei et lacte, emulsione arabica et lacte, ac lotionibus emollientibus. Penitus devicta phlogosi, adhiberi possunt injectiones adstringentes; et quamvis vagina eas facilius, quam urethra

virilis tolerat, opus est a levioribus incipere, et deinde ad fortiores progredi. Hisce vero illae ex aqua hordei, aut simplici aqua praemittendae sunt: et dum adstringentes injectiones fiunt, aliquantisper mulier resupina maneat, ut injectus liquor retineatur. Praeterea secundum regulas pro hominibus traditas adhiberi possunt interna remedia, et diaetae regimen ordinari.

GENUS SEPTIMUM

Gonorrhoea

§. 1077. Gonorrhoea, γονόῤῥοια, est in hominibus involuntarius spermatis fluxus, et in mulieribus illius humoris, qui emittitur iu coitu, aut cum aut sine libidine. Quoniam hujusmodi fluxus aut est continuus, aut interruptus, sed identidem repetitus, variae species a Nosologis assignantur, ut tres a Sauvages, quas sic definivit. = Gonorrhoea pura est seminis fluxus ex urethra in viris sine dysuria nec libidine

nec ab impuro concubitu dependens: Gonorrhoea libidinosa est effluxus seminis involuntarius frequenter repetitus sine erectione cum intensa libidine: Gonorrhoea oneirogonos est involuntaria cum libidine et erectione seminis frequens ejaculatio ab insomnio libidinoso excitata = Proprie vero gonorrhoea est perpetua seminis effusio; aliae species improprie hoc nomine vocantur. Dividitur autem gonorrhoea in primariam, symptomaticam, secundariam. Hic fluxus in mulieribus, ut in hominibus, ut plurimum saluti et generationi obest. Humor a mulierum sinu sub coitu ejaculatus, a veteribus credebatur semen; a recentioribus creditur mucosus humor a cryptis mucosis vaginae secretus. Non omnes vero ita sentiunt, ut P. Franch, qui dubitat, an ab hoc fonte manet, magna illius spectata quantitate, celeritate, et impetu, quo erumpit, et absentia tenacitatis, quae muci propria est. Cum vero anatome non aliam indicet scaturiginem, non sine ratione suus interpres Clariss. Morelli animadvertit in notis, quod secretiones unius ejusdemque glandulae, ma-

xime pro diverso hujus statu, dissimiles sunt. Idcirco quia sub oestro venereo organa generationis in mulieribus ingentes subeunt mutationes, secretio quae fit a cryptis mucosis videri potest diversa. Quicunque vero sit hujusmodi humor certum est, immodicam ejus jacturam eadem afferre damna, ac quae a spermatis effusione in hominibus proficiscuntur.

§. 1078. Plura symptomata, quae paullatim graviora fiunt, gonorrhoeam, praecipue habitualem comitari solent. Interdum levia sunt, quia gonorrhoea esse potest fugax, et a levibus caussis orta, ut in illis qui in vesiculis copiosum semen habent, et ad hunc fluxum sunt proclives, est equitatio longa. In gonorrhoea habituali quamvis in initio symptomata non sint tam gravia, sensim augentur, et tandem lethalia fiunt. Debilitatur in primis stomachus, et hinc difficiles alimentorum coctiones; vexant flatus, anorexia, unde debilitas, pallor, tristitia, capitis dolor; crescit ad inertiam propensio, et corporis motu accedit anhelatio, et cordis palpitatio; imminuitur memoria,

omnes interni et externi sensus perstringuntur, et aures susurrant; aegri hebetes facti solatiis non recreantur; comparent nervosi affectus, ut tremor manuum, extremitatum vacillatio, epilepsia. Praeterea ob continuam seminis effusionem, quod etiam in hominibus immiscetur humori, qui a prostata profluit, et in mejendo, aut expellendis faecibus copiosus emittitur; et ob deficientem corporis nutritionem, licet aegrotantes cibos appetant, magna sequitur consumptio, et tabis dorsalis foenomena, ut sensus frigoris et ille sicut formicarum a capite secundum spinam reptantium; extenuatio musculorum lumbarium, plusquam in caeteris musculis spectabilis; dolores artuum; etc. Suscitatur lenta febris cum exacerbationibus vespertinis, diarrhoea, sudoribus nocturnis, colliquativis, aliisque symptomatibus, quae mortem properant. Etiam ab aliis speciebus gonorrhoeae propter magnam seminis jacturam consequi possunt gravissima symptomata, et ipsa tabes dorsalis. Sensim enim continua fit seminis profusio. Revera tanta est hujusce humoris emittendi consuetudo, ut vix exstimulatae vesiculae, etiam consensuali irritatione, cum statim effun-

dant. Gonorrhoea autem symptomatica a praesentia morborum vel generalium, vel localium cognoscitur. Sub violentis epilepsiae accessibus immodice ejaculatur sperma; idque etiam interdum evenit sub vesicae urinariae spasmo, ejus caculo, ulcere canceroso prostatae, et sub hysterica affectione. Mulierem hystericam prae oculis habeo, quae sub accessibus tot involuntarias pollutiones patitur, ut inde mirum in modum debilitetur. Gonorrhoea secundaria ab antecedentibus morbis vesicae, urethrae, vaginae, uteri, aut a metastasi alicujus materiei morbosae, ut rheumaticae, arthriticae, leprosae, noscitur.

§. 1079. Caussa gonorrhoeae habitualis est universalis, et pudendorum debilitas cum sensibilitatis augmento. Ad hunc morbum propensi sunt homines hypochondriaci, et foeminae hystericae; tristes, studiis dediti, salaces et eodem tempore casti, et religiosi; rebus venereis indulgentes, et ad mastrupationem projecti. Quidquid igitur in hisce hominibus debilitatem et sensibilitatem adauget, est hujusce morbi caussa excitans, ut abusus veneris, drastica fortio-

ra, aphrodysiaca, immodica studia, et ipsa negata venus. Etiam debilitas et aucta sensibilitas est caussa gonorrhoeae libidinosae Sauvages, ut confirmatur exemplis. Ipse ita narrat Nosol. method. tom. 2. pag. 402. puellae historiam = Simili morbo laborabat puella religiosissima, quae ad pedes sui Confessarii, senis admodum inficeti, pollutiones involuntarias patiebatur, et scrupulis ad insaniam fere adigebatur; praescripsi antiaphrodysiaca plurima, sed eventum ignoro. = Ego etiam transactis annis laxam et sensibilem puellam curavi, quae invite polluebatur, dummodo homines aut senes aut juvenes ei appeterent. Caussa autem gonorrhoeae, quae dicitur oneirogonos, est nimia sensibilitas per abusum veneris, mastrupationem, obscoenorum librorum lectionem, aut per ipsam copiam spermatis in corpore bene pasto et constituto excitata.

§. 1080. Ex dictis patet quanta sint gonorrhoeae pericula, maxime habitualis. Si recens, ut plurimum difficilis curationis est; insanabilis, si extrema tabis dorsalis, et febris lentae compareant symptomata. In-

ter autem malos gonorrhoeae effectus recensetur sterilitas. Eventum gonorrhoeae symptomaticae, aut secundariae portendimus, si morborum primariorum perpendamus naturam; ut insanabilis est, si sub ulcere canceroso, aut fistula per alienas vias semen exeat. Interdum symptomaticae pollutiones admodum frequentes, morbum primarium pejorem reddunt, ut est affectio hypochondriaca et hysterica, epilepsia, etc.

§. 1081. Curatio secundum morbi speciem, et caussas disponitur. Pro levi et fugaci gonorrhoea satis est caussas tollere; sed curandum est ne redeat; nam facile habitualis fit. Si autem talis jam sit, restituendus est universalis et partialis pudendarum partium vigor, et nimia sensibilitas temperanda; sed caute, nam efficaces stimuli, et quae ad pudendas partes sanguinis affluxum advocant, fugienda sunt. Nutriatur itaque aeger oryza, hordeo Germaniae, farina frumenti turcici, carnibus vitulinis, aut pulli; hauriat aquam purissimam cum pauco vino; modice exerceat corpus; conservet animi quietem; rusticatione, et ami-

corum consortio gaudeat. Medicamenta autem alia interna, alia externa sint. Inter prima sunt roborantia, quae etiam aliquam adstringendi facultatem habent, ut pulvis corticis peruviani, aut hujus decoctio; ferrum, ejusque tinctura; interdiu ad bibendum decotio millefolii; sed inter omnia lac praeminet, cujus species secundum varios casus eligatur, sed ut plurimum ab asinino incipiendum, et deinde ad illud caprae, et vaccae, quod magis nutrit, deveniendum. Lac etiam humanum in summa corporis debilitate, et senectute conducere potest. Juvenem viginti annorum habituali gonorrhoea laborantem solo lacte ab extrema macie servatum vidimus, qui modo vivit incolumis. Ubi vero lac digeri non potest, idque flatibus, doloribus abdominis, ructibus acidis, diarrhoea cognoscitur, prius ejus abrumpatur usus, et magnesia, aut aliud leve purgans porrigatur, et deinde iterum inchoetur lac; sed omnino linquatur, si nullo modo tolerari potest, et ejus loco dentur decoctiones ex carne vitulina, ranarum, et hordeo Germaniae. Remedia autem externa sunt frictio-

nes, aspersiones et balnea frigida. Etiam pro gonorrhoea, quae dicitur libidinosa, temperanda est ingens sensibilitas, et corpus roborandum, sed evitentur stimuli, praesertim vinum. Conveniunt ideo balnea frigida, modica corporis exercitatio, et ad conciliandam quietem aliquod narcoticum, sed nunquam opium, utpote exstimulans, etsi a multis adhibitum. Otium autem, et immodica studia fugiantur. Pro specie quae oneirogonos vocatur, inhibenda sunt stimulantia, et spirituosa, lectus mollis, decubitus in dorsum; oportet insuper vitam castam agere, et dum noctu venerei stimuli persentiuntur, deserere lectum, ut removeantur pollutiones. Si vero haec gonorrhoeae species proveniat a statu corporis plethorico, et abundanti spermatis secretione, potius connubium, quam artis auxilium confert. Sed quia non semper illud possibile est, venae sectione, victu parum nutriente, a vegetabilibus praesertim desumpto, plethora et abundantia spermatis imminuenda est. Si autem hae gonorrhoeae species eadem ac habitualis producant effecta, victu

qui nutriat, et facile concoquatur, lacte, roborantibus, balneis frigidis continetur curatio. Denique pro symptomatica, et secundaria gonorrhoea varia pro diversa natura primarii morbi administrentur remedia, interdum inutilia; dum scilicet ille morbus insuperabilis est.

GENUS OCTAVUM

Galactirrhoea

§. 1082. Galactirrhoea est lactis fluxus è papillis summam debilitatem, et maciem inducens. Secundum naturae legem mammales glandulae, dum matres vel nutrices lac praebent, actuose secretionem adimplent. Hujusmodi organa ad pubertatem usque parum evoluta, majus deinde adipiscuntur volumen, quod etiam post conceptionem, et lactatus tempore augetur. Ab hoc vero volumine, quod textu adiposo magna ex parte conflatur, non pendet copiosa lactis secretio, sed a glandulis magis expli-

catis, quae majore activitate pollent. Absoluta autem lactis secretio post partum contingit, quamvis tempore gestationis incipiat, et eo copiosius, quo propius accedit partus. Sed prima et secunda a partu die lac est valde serosum, et nuncupatur colostrum, quod ob vim quam habet solutivam meconii egestionem sollicitat. Saepe tertia die suscitatur febris ephemera, quae dicitur lactea, et postea secretio lactis actuosior fit. Et ut primum lac convenit delicatis pueruli organis, sic deinde, cum majorem acquirit consistentiam, magisque nutriens evadit, majori illius vigori congruit. Cum separatio lactis, et quoad quantitatem, et quoad vires et aetatem nutricis non excedat modum, saluti maxime confert; et ideo si reprimeretur, ut faciunt matres, quae praeter rationem, et naturae legem lac proli recusant, innumera consequi possent mala, quibus illae saepe inhumanitatis suae poenas luunt. Si vero ita exuberet secretio lactis, ut hoc sponte è papillis effluat sine pueri suctu, cito debilitas et consumptio succedit. Iidem effectus produci queunt cum non excedit se-

cretio lactis, sed non est in ratione virium et aetatis nutricis; idcirco in utroque casu morbus galactirrhoea appellatur; quamvis in primo propria, in altero impropria dicenda mihi videtur. Plures a Nosologis statutae fuerunt galactirrhoeae species, sed non omnes aequali jure. Inter has ponitur galactirrhoea erronea, cum lac exit per alias vias, ut per glandulas salivales, oculos, umbilicum. Considerat P. Franch, non facile admitti posse, humorem per hasce vias emissum verum fuisse lac; tamen ut dantur lactis metastases, vel in caput, vel in pectus, vel in abdomen, vel in externas partes, unde formantur tumores, sic fieri potest, quod lac per insuetas exiliat vias. Sic adnumeratur inter species galactirrhoea virorum, quae scilicet in lacte, quod ab eorum mammis stillat, consistit. Interdum tanta fuit hujusmodi secretio, ut quidam homines nutricum munere perfungerentur, sicut testantur auctores. Haec vero exempla, quae fere abhorrent a fide, rarissima sunt. Rara etiam est secrectio lactis in virginum mammis; in quibus tamen aliquando repetito suctu fuit excitata. Censetur denique

galactirrhoea serosa, illa nempe lactis aquosioris secretio parvi momenti, quae aliquando gravidis evenit, quarum in sinu proles demortua est. Quisque videt, hujusmodi species nomen galactirrhoeae non mereri, nec ad hunc fluxum referri debere.

§. 1083. Aut propria, aut impropria sit galactirrhoea, si in longum procedat, gravibus stipatur symptomatis. In initio adest debilitas, licet aegra appetat alimenta, atque nutriatur. Deinde vero languet edendi cupido, imo succedit nausea. Pallet facies, vexant capitis dolores, motum corporis etsi levem excipit defatigatio, palpitatio cordis, anhelatio; incipit consumptio, urget sitis, tussis sicca, respiratio difficilis; genae circircumscripto tinguntur rubore, artus dolent, et nervosae affectiones superveniunt. Circa meridiem explicatur febricula cum horrore, quem sequitur calor, et nocturnis sudoribus terminatur. Sub hac febre omnia enumerata symptomata augentur. Interdum talia adsunt signa, ut inflammatos esse pulmones ostendant, ut dolor pectoris punctorius, summa respirandi difficultas, tus-

sis, etc; interdum sub vehementi tussi sputum sanguineum redditur, quod deinde fit purulentum. Manant sudores profusi colliquativi; adest diarrhoea; contingunt animi deliquia; extremitates oedematosae fiunt; denique extremae debilitati et consumptioni succedit mors. Judicat P. Franch, veram galactirrhoeam multum ad chylosum diabetem accedere, quia supponit, lac magis quam par est principium nutriens continere; sed hoc non confirmatur, siquidem chemica analysi in eo inveniuntur consueta principia.

§. 1084. Caussa propriae galactirrhoeae est ipsum lactis profluvium ab exuberanti secretione proveniens. Interdum tam copiosa secretio non solum in puerperis, sed etiam in gravidis fuit observata, ex quarum mammis quinto gestationis mense quotidie libra et semissis lactis stillabat, sicut refert Sauvages. Quaedam mulieres ad hunc fluxum haereditariam dispositionem habere videntur. De caussa vero occasionali ambigitur; an scilicet sit major organi secernentis activitas, aut potius debilitas. Tamen in initio morbi mihi potius videtur esse major activitas; nam

in robustis mulieribus plus semel propriam galactirrhoeam observavi, quarum mammae non flaccescebant, et lac bene compositum. Impropriae autem galactirrhoeae dispositae sunt mulieres debiles, aetatis tenerae, et quae plures filios pepererunt, et lactarunt, et ad consumptionem, et phthisin pulmonarem inclinant. Caussa occasionalis est diutinus lactatus, aut eodem tempore plures alere puerulos, aut nutricis praeparca et prava nutritio. Plures sunt mulieres, quae absque incommodo diu prolem nutriunt, etiam alterius graviditatis tempore, aut quae continue gestatione et munere nutricis occupantur; sed plures etiam sunt, quae etsi parum ubera puero admovent, valde debilitantur, et cito experiuntur galactirrhoeae effectus.

§. 1095. Galactirrhoea est periculosus morbus, tamen sanatio speranda est, si ipsa sit propria et recens, et bene instituta curatio. Idem de impropria dicendum est, si mature curetur: si a mammis disjungatur iufans, aut ipsi nutrix in ratione virium lac praebeat; si praescribantur alimenta magis nutrientia, et

debiles vires restaurantia. Contra difficilis erit sanatio, si jam inveteratus sit fluxus, et lenta febris praesto sit, et consumptio; impossibilis, si gravioribus symptomatibus conjungatur pulmonum ulcus.

§. 1086. Ut curetur galactirrhoea; si propria, necesse est lactis secretionem minuere; si impropria, hanc secretionem supprimere, aut debilibus nutricis viribus consentaneam reddere. Hoc vero cautim faciendum est. Itaque cum in propria galactirrhoea imminuenda sit copia lactis, in primis ita dirigatur diaeta, ut non debilitentur vires et extenuetur secretio lactis; promoveantur etiam secretiones, maxime urinae et sudoris, blandis diureticis et diaphoreticis, et illa neutrorum salium quantitate, quae urinas ciet, aut alvum laxat. Praeterea suctu evacuentur mammae; sed ille talis non sit, et tam frequens, ut potius lactis separationem adaugeat. Dum lac redundat, remedia reprimentia periculosa sunt, tam quia illud facile stagnat, tam quia metastases discrimine plenae consequi possunt. Summa utilitate unctiones ex oleo amygdalarum dul-

cium adhibentur, quae mammarum servant mollitiem, et eodem tempore balnea pedum ex aqua calida. Vitetur brachiorum motus; et mammae ne pendeant apta fascia sustineantur collo. Si autem in impropria galactirrhoea ab uberibus amoveatur puer, gradatim fiat, si casus extremae nutricis debilitatis, et parcissimae lactis secretionis excipiatur. Si vero morbus immodico lactatu continetur, aut nutrix duobus infantibus mammas porrigat; vel ipsa minus lac praebeat, vel unum tantum infantem nutriat, vel utrumque a lacte depellat, si non amplius perferre possit nutriendi munus. Victus sit nutriens, sed talis, ut vires restauret, quin nimis lactis quantitatem augeat. Hoc facto, ad roborantia veniendum est, ut sunt cortex peruvianus, et martialia. Cum autem omnino arescant ubera, victus qui magis nutriat concedatur. Ubi inveteravit morbus, observanda sunt comitantia symptomata. Jam innuimus quam facile in ejus cursu afficiantur pulmones, qui saepe inflammantur, ut dolor pectoris punctorius, tussis vehemens, difficilis respiratio, genarum rubor, febris,

sitis, pulsus durus evidenter denotant: tum oportet prius secare venam, decoctiones hordei, althaeae syrupo ejusdem radicis edulcatas porrigere; deinde vesicantia, praesertim loco doloris admovere. Cum autem inflammatio in suppurationem transeat, ut precipue a purulento sputo deprehenditur, praecipuum remedium est lac asininum, et insuper aliquod expectorans et gummosum est adhibendum. Si adsit lenta febris absque phlogoseos signis, praeter lac asininum, et emulsionem arabicam, applicentur vesicantia, praesertim loco doloris, qui saepe molestat, sed non est tam pungens, ut ille inflammationis comes; et vespere ad refraenandam tussim aliquod usurpetur narcoticum. Si forte ab hac simplici curatione obtineatur levamen, et iterum recipiantur vires, campestris et purus aër, aucta alimenta, aliqua corporis exercitatio, continuus lactis usus, feliciter aliquando curationem absolvunt.

ORDO QUARTUS

Profluvia Abdominis

GENUS PRIMUM

Vomitus

§. 1087. Vomitus est violenta ejectio substantiarum vel solidarum vel fluidarum, quae continentur in ventriculo, aut in eum ex partibus vicinis affluunt. Nausea, quae ut plurimum praecedit vomitum, ab hoc non differt, nisi gradu. Est enim ad vomitum dispositio, aliquo saepe nisu consociata. Homines autem non solum nausea, et vomitu, sed etiam ruminatione, licet rarissime, laborant. Ruminatio est iteratus et placidus portionis alimentorum ad os ascensus, quae aut expuuntur, aut remanduntur et denuo deglutiuntur. Inquit Sauvages, ad vomitiones ruminationem pertinere, eamque ut vomitus speciem habet. Sed P. Franch eam ut genus distinctum judicat. Revera

inter vomitum et ruminationem adspectabiles intercedunt differentiae ; nam ille est involuntarius , violentus , quem plerumque nausea et conamina praegrediuntur ; haec contra est placida , nec nausea nec conamina anteceduut , et ad eam promovendam non parum confert voluntas. Nihilominus si animadvertatur quod vomitus praecipue oritur ab inverso peristaltico motu , sed violento ventriculi , et ruminatio ab eodem inverso motu , sed modico et miti, sine quo alimentorum portio os iterum ascensu petere non posset , evidenter patet , vomitum et ruminationem gradu tantum differre.

§. 1088. Plures sunt vomitus distinctiones et nomina , quae a Nosologis statuuntur. Dividitur enim in primarium , symptomaticum , consensualem , periodicum , irregularem , spontaneum , artificialem , acutum , chronicum , habitualem. Primarius oritur a caussis proprie in ventriculo extantibus ; symptomaticus a morbis ventriculi, aliarumque partium ; consensualis a statu praeternaturali partium , quae cum ventriculo consensum habent; accidentalis a caussis fortuitis,

et minime permanentibus; criticus, qui aliquam aegritudinem solvit; periodicus certis horis, et praefinitis temporibus redit; irregularis nullam habet periodum; spontaneus sponte corripit, et saepe salutaris est; artificialis arte movetur; acutus violenter incedit; chronicus lente; habitualis est frequens, et continuus. Vomitibus autem dantur diversa nomina secundum ejectas materias. Dicitur itaque vomitus pituitosus, biliosus, saburralis, cruentus, ichorosus, stercoreus, verminosus, atrabilaris, insipidus, acidus, amarus, putridus. In tres species divisit Alibert essentialem vomitum, scilicet in biliosum, mucosum, spasmodicum. Hujusmodi vero divisio non absoluta videtur; nam ab aliis pluribus caussis, saepe ignotis, nascitur vomitus; et licet vitium bilis, muci, aliorumque succorum gastricorum caussa esse videtur, tamen saepe non est, quia hac sublata, vomitus remanet. Praeterea dum vomitum mucosum describit auctor, ille mihi videtur cum pyrosi confundi. Inquit enim vomitu copiosam reddi materiem mucosam cum ardenti et mole-

stissimo sensu in gutture, stomacho, et intestinis; quod foenomenon est magis pyrosis, quam mucosi vomitus proprium.

§. 1089. Nausea ventriculi sensatione molesta, inutili ad vomitum proclivitate, salivae affluxu, et frequenti exspuitione distinguitur. Si vero nausea est majoris gradus, adest aliquis vomendi nisus, sed sine effectu. Vomitus autem cognoscitur a subita et violenta per fauces et interdum per nares materiarum expulsione, quae vel in ventriculo continentur, vel ad eum transferuntur. Plura vero esse possunt symptomata, quae aut vomitum praecedunt, aut comitantur, aut consequuntur. Inter antecedentia sunt ventriculi pondus, nausea, ructus, salivae affluxus, tremor inferioris labii, hypochondriorum tensio, quaedam ad regionem epigastricam oppressio, faciei pallor, anxietas, oscitatio, singultus, tussis; hinc stomachus ad contractionem disponitur, et in eum incipit actio diaphragmatis, et musculi abdominales tenduntur; dum autem imminet vomitus, vehementia reiterantur conamina, augetur anxietas, fronte manant frigidi sudores,

oculi rubent et lacrymas fundunt, nares stillant, facies etiam tumet et rubet; tandem dum violenta contractione corripitur ventriculus, per os materiae diversae quantitatis et qualitatis jactatione et artuum tremore expelluntur. Saepe post vomitum succedit levamen et quies, et non amplius redit vomitus, si caussa auferatur; sed haec interdum remanet, et tum iterum vomitus aggreditur. Ut plurimum inchoante vomitu, prius materiae pituitosae, deinde luteae et amarae ejiciuntur; nam sub constrictionibus diaphragmatis, quod inferius deprimitur, et musculorum abdominis hepar, vesica fellis, intestinum duodeuum comprimuntur. Symptomatum autem varietas, quae comitantur vomitum, a dissimilibus caussis dependet, ut modo videre est. Saepe vomitus a nimia ciborum et potionum quantitate nascitur. Hic interdum contingit post pastum, et tum assumptum redditur per os, et mox succedit levamen; interdum post aliquod tempus a pastu, cum jam inceperit alimentorum coctio, et ejecta materies acidum spirat. Praecedunt nausea, capitis gravitas,

vertigo, ventriculi dolor et pondus, eructatio, tremor labii inferioris, anxietas, irritatio ad guttur, copiosa muci exspuitio. Si linquatur crapula, cessat vomitus; secus ad illum obviam itur, qui est chronicus, diciturque pyrosis. Morbus helluonum proprius pyrosis est, sed interdum oritur a caussis a crapula et diaetae vitio diversis, ut praecipue sunt deprimentia animi pathemata. Idcirco ad pyrosin propendent etiam tristes, hypochondriaca affectione laborantes, inertes, aetate provecti, pueri voraces, et licenter acidos fructus edentes, infantes nimium lac sugentes. Praecipui characteres, quibus distinguitur pyrosis, sunt vomitus copiosi humoris aquei, plerumque insipidi, aut pituitosi, glutinosi, aut acidi, aut amari, et jejuno stomacho evenit mane, sociaturque ructibus, et in regione epigastrica urenti calori. Saepe ante vomitum cardialgia, exspuitio pituitae, pravus oris sapor, nausea, praecordiorum angustia molestant. Postea incipiunt ructus, vomitus aquei humoris, aut viscosi, ovi albuminis similis. Alia autem adsunt signa, si a diversis saburris

producatur vomitus. Si ex. gr. ab alimentis non bene concoctis, nausea, cardialgia, graveolentia halitus, linguae sorditudo, gravitas et dolor capitis, vertigines, sitis, et ejecta non cocta alimenta foetent: si a bile, nausea, inappetentia, sitis, os amarum, lingua sublutea, ventriculi dolores, et bilis quae vomitur subviridis est et porracea: si a vermibus, anxietas, fugaces morsus ventriculi et abdominis, narium pruritus, tussis, rubores faciei fugentes, dilatatio pupillae, oculi semiaperti, quorum album dumtaxat apparet, sopor, convulsiones, sudor odorem proprium emittens, dejectiones foetidae liquidae cineraceae, ejicitur materies pellucida cum vermibus, qui interdum etiam dejectionibus expelluntur. Si in caussa sunt venena, ut arsenicum, helleborus albus, fungi, etc, vehementissima et lethalia sunt symptomata, ut atroces ventriculi cruciatus, et inflammatio, convulsiones, etc. Si ab atonia ventriculi proficiscitur vomitus, antecedunt copiosi flatus, a quibus admodum distenditur viscus, et molestus sensus plenitudinis; et

quoniam sub atonia non bene digeruntur alimenta, haec inertem ventriculum percellunt, et ad sese contrahendum cogunt; et cum eodem tempore diaphragma, et musculi abdominales contrahuntur, incoctarum materiarum sequitur ejectio. Si caussa sit morbosa sensibilitas, ut non raro in hominibus maxime sensibilibus et debilibus observatur, contingit vomitus vix alimentis assumptis, quae ad irritandum ventriculum sufficiunt. In hisce hominibus suscitatur vomitus spasmodicus, qui ut alii morbi nervosi systematis saepe fit periodicus et habitualis. Frequentissime lactentes lac evomunt, aut quia nimiam hujus quantitatem sugunt; aut quia lac pravae qualitatis non bene digeritur, cogitur, alteraturque; aut quia magna est puerorum debilitas, unde lac, quod eis ubertim nutrices praebent, digerere nequeunt. Si persistat caussa, etiam vomitus perseverat, saepe pueris exitiosus; nam tabescunt, dolores patiuntur, ut a continuo fletu, anxietate, contorsionibus, et convulsionibus dignoscitur. Vomitus autem symptomaticus a signis

alterius morbi distinguitur, qui aut in ventriculo, aut in aliis partibus sedem habet. Ventriculus obnoxius est morbis vel acutis, vel chronicis, a quibus oritur vomitus; ut sunt inflammatio, steatoma, scirrhus, cancer, ulcera, hernia. Saepe scirrhus et steatoma lente producitur, ideoque non statim gravia comparent symptomata, sed solum ructus, inappetentia, distensio et oppressio ventriculi a flatibus; paullatim vero clarius patent morbosa foenomena, ut vomitus assumpti alimenti, debilitas, tristitia, faciei pallor, animi deliquia, dolores, singultus, etc. In steatomate, quod esse potest in cardia, ventriculi fundo, pyloro, semicocta vomuntur alimenta, et raro exoneratur alvus. Si pylorus fit callosus post aliquot a pastu horas supervenit vomitus, cum scilicet massa chymi in pylorum est immittenda; et aegri consumuntur, in facie pallescunt, debilitantur, et alvi duritia laborant. In scirrho ventriculi ab alimentis suscitantur dolores, qui post vomitum placantur, alvus est compressa, facies pallida, singultus, ventriculi inflatio et tensio. Dum

vero efformatur cancer dolores sunt immites, lancinantes. In ventriculi ulceribus, quae ab inflammatione, suppuratione producuntur et scirrho, qui interdum in ulcus cancerosum convertitur, excruciant saevi dolores, halitus oris foetet, vomitus modo copiosi sunt, modo praeparci, modo cruenti, purulenti, ichorosi, foetidi; supervenit consumptio, et lenta febris. Vomitus autem ab assumptis substantiis, etsi levissimis, facile movetur. Hernia ventriculi vario modo contingit, sed saepius cum hic inter abdominis musculos intruditur, et tum signa sunt tumor mollis in regione epigastrica supino cubatu evanescens, digestionis vitia, vomitus, dolores, alvi durities; quae cessant, si reponatur, vel contineatur hernia. Alia herniae ventriculi varietas rarissima est, cum in thoracem trans diaphragmatis scissuram immittitur viscus. Vomitus autem symptomaticus saepe a morbis acutis vel chronicis intestinorum proficiscitur, ut sunt inflammationes, duritiae, affectiones spasmodicae, vermes, corpora dura, collectae et nimis induratae faeces, hernia incarcerata. Interdum

nascitur vomitus ab affectionibus partium et viscerum ventriculo propinquorum, ut est inflexio cartilaginis ensiformis versus ventriculum, quae vero non est tam frequens, ut vulgo creditur; calculi systematis biliarii, obstructiones hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesenterii. Etiam vomitus saepe a renum calculis, caeterisque organorum urinae affectionibus excitatur. A laesa urinae secretione, et ab illius retentione interdum producitur vomitus urinosus. Cl. Joan. Selli in nosocomio Viterbiensi mihi aegram monstravit viginti octo circiter annorum, nomine Teresiam Lucatelli, ischuria vesicali laborantem, quae per abolitam vesicae actionem, urinam nisi ope fistulae ex gummi elastico reddere non poterat; ubi haec fistula abducebatur, statim vomitus urinosus suscitabatur. Materiarum enim vomitus instituta analysi, omnia in illis urinae principia comperta fuere. Praeterea vomitus est frequens symptoma aliorum morborum, ut febrium vel continuarum, vel intermittentium, maxime illius, quae dicitur perniciosa emetica; affectionum hystericae, et hypochon-

driacae ; podagrae ; scorbuti ; etc. Saepe a podagra pertinaces vomitus commoventur. Interdum si dolores pedum non compareant, molestant ventriculi pathemata, modo non tam gravia, quae plus vel minus persistunt, aut per intervalla redeunt, ut nausea, vomitus, dolor, et quae ut plurimum evanescunt, si dolores invadant pedes ; modo graviora, ut oppressio, et ventriculi ac regionis epigastricae dolor et tensio, inappetentia, nausea, vomitus violentus. Etiam in scorbuto saepe vexat stomachi affectio; hinc cum illius evidentibus signis dolor, nausea, vomitus consociatur. Frequenter vomitus in pluribus morbosis affectibus est consensualis, ut in capitis doloribus, et laesionibus, ut et spinalis medullae, renum, vesicae, etc. Hujusmodi vomitus saepissime contingit in gravidis, modo sub gestationis initio, aut tardius, qui vel vanescit, vel permanet per plures menses, et interdum per totum gestationis tempus, et ejiciuntur materiae biliosae, mucosae, aut alimenta. Vomitus biliosus et mucosus evenit jejuno ventriculo, et est admodum laboriosus; vomitus alimen-

torum post pastum, minus est incommodus, sed magnam debilitatem inducit. Diximus autem quid sit ruminatio, qua aut statim post assumpta alimenta, aut post unam vel alteram horam, haec placide ad os revehuntur, remanduntur, et inde iterum deglutiuntur, ut faciunt animalia rumimantia; sed non semper iterum deglutiuntur alimenta, quae post aliqualem masticationem lobatim expuuntur. Ubi non ita ejiciuntur alimenta, alternatim ad os saliunt, et in stomachum descendunt, donec ruminatio cesset, qnae interdum non sine voluntate, et voluptate absolvitur. Sauvages Nosol. meth. tom. 2. pag. 339. refert primariae ruminationis historiam sic a Du Saulsay medico Cadomensi scriptam = Rusticus Cadomensis, forte premens manibus abdomen, sensit alimenta recens ingesta ad os ascendere, atque ea cum voluptate gustata iterum deglutivit; cum per aliquot dies, hoc experimentum voluntario iterasset, haec ruminatio in consuetudinem abiit, et sine voluntatis jussu per triennium quotidie hora una et semisse post pastum perseveravit, inde ro-

bur minime imminutum, sed sudor et urina copiosior, dejectio vero alvina rarior; nullum de caetèro detrimentum; hoc demum rescivit Confessarius ac crimini vertit, quod voluptatis caussa initio haec ruminatio fuisset instituta, proindeque jussit ut alimenta vel in os reversa subito expueret, vel in stomacho retineret; ultimum non potuit, unde ruminata expuere coepit; inde vero intra quindecim dies debilior evasit, a labore consueto defatigatus, pallidus emaciabatur; hinc alvus adstricta, pedum phlegmatia, somnus inquietus, insomnia terrifica: Medicus consultus praescripsit ut alimenta in os reversa subito deglutiret, ruminationem pro viribus impediret, masticatis post pastum jucundis stomachicis, ut conserva Angelicae; sero lactis copioso alvum laxavit, et post decem dies aeger a ruminatione et aliis incommodis immunis vixit. = Ab hac notanda historia patet, non tam gravia esse ruminationis symptomata, dum iterum deglutiuntur alimenta; contra dum expuuntur, siquidem deficit necessaria nutritio, et inde corpus ad consumptionem et mortem

disponitur. Historia autem quam exhibet P. Franch, ruminationem symptomaticam ostendit. Contigit enim in sene hypochondriaco, qui a quadraginta quinque annis ea laborabat, et circa morbi finem erat macie consumptus. Periit post paucos menses, et praemagnus scirrhus reperiebatur in pancreate. Generatim in ruminatione symptomatica, quamvis non expuantur alimenta, gravia prius et deinde lethalia evadunt symptomata, ut flatus, ructus, borborygmi, alvus adstricta, lenta et abolita digestio, defectus nutritionis, tabes, et tandem mors.

§. 1090. Caussa proxima vomitus est irritatio, quae spasmodicam ventriculi constrictionem, ejusque inversum motum, eodemque tempore actionem diaphragmatis et musculorum abdominalium commovet, qui pressione faciunt, ut superentur resistentiae, et per os ejiciatur quidquid in ventriculo continetur. Eadem est caussa nauseae, sed minoris gradus; unde ventriculus leviter contrahitur, sed ejus peristalticus motus non invertitur. Etiam ruminationis caussa talis esse videtur irritatio, quae fi-

brarum muscularium ventriculi contractionem inducat, et aliquantum et placide ejus motum invertat, unde rursus in os ascendit alimentorum assumptorum portio. Caussae praedisponentes primarii vomitus reperiuntur in temperamento, aetate, sexu, et in ipso ventriculo, qui vel atonia, vel nimia sensibilitate afficitur. Vomitibus ex. gr. biliosis proni sunt homines bilioso temperamento praediti; pituitosis, qui pituita scatent, et senes; pyrosi, qui mediam aetatem attingunt; innuptae mulieres plus quam homines vomitibus obnoxiae sunt. Ad ruminationem autem primariam propendent praesertim helluones, et illi qui habitudinem contrahunt expellendi flatus, et assiduo conamine ad os alimentorum regressum sibi parant. Primarii vomitus occasionales caussae plures sunt, ut nimia alimentorum et potionum quantitas, vel prava qualitas; vermes; substantiae acres; venena; vitium succorum gastricorum, bilis, muci; corpora quae solvi non possunt, et saepe transitum per pylorum massae alimentariae impediunt, ut ossa, nuclei, etc; deprimentia animi pathemata, praesertim quae

organa digestionis infirmant; vita sedentaria; incommoda positio, in qua nonnulli manent in exercendis artibus: etc. Caussae autem quae excitant ruminationem primariam sunt habitudo eructandi, et paullo post pastum assumpta alimenta in os remittendi; voracitas, et nimis sollicita alimentorum deglutitio, quae non absolute fuerunt dentibus confecta.

§. 1091. De vomitu ominabimur, si ad ejus caussas, effectus, et symptomata animo attendamus, et colorem et qualitatem ejectae materiae, non secus ac consuevit Hippocrates, consideremus, quamvis praesagitio ab observatione hujusce materiei deducta fallax sit. Si caussae sint leves, nullum urget periculum; contra si graves. Interdum caussae non expedite auferri possunt, et inde pertinax est vomitus, qui maxime perturbat, debilitat, et eripit nutritionis principia, praecipue si frequens, et post pastum contingat. Pyrosis ex. gr. ob continuationem caussarum difficile vincitur. Saepe effectus vomitus utiles sunt, ut dum ventriculi impuritates tollit, vel substantias deglutitas venenatae na-

turae, vel digestu impossibiles; aut dum expellit, et resolvit morbos. A vomitu saepe coercetur alvi fluxus vel longus, vel vehemens, ut sect. 6. aph. xv. inquit Hippocrates = A profluvio alvi longo detento, vomitus sponte accedens, solvit alvi profluvium = De morbis autem lib. I. IV. 10. = A profluvio alvi forti correpto, vomitus superveniens bonum = Ex adverso interdum effectus sunt pravi, praecipue si vomitus sit continuus, copiosus, vehemens. Semper augentur salutis incommoda, accedit consumptio, et in systemate vasorum et viscerum gravissima producuntur mala. Hinc haemorrhagiae, apoplexiae, aneurysmata, herniae, abortus, aliqua ventriculi organica affectio non raro proficiscuntur. Saepe etiam gravia, et interdum lethalia symptomata comitantur vomitum copiosum, vehementem, rebellem, ut perturbatio motus peristaltici intestinorum, alvus compressa, singultus, anxietas, convulsiones, animi deliquia, maxima virium dejectio. Quoad autem materias ejectas, si vomitus sit cruentus, malus; tamen aliquando non portendit discrimen, ut qui a parcitate, et

suppressione menstruorum oritur: malus est etiam vomitus prasinus, aeruginosus, lividus, niger, saniosus, foetidus, stercoreus: pessimus, si sit varii coloris, et gravibus symptomatis stipatus, ut convulsionibus, singultu, anxietate, virium debilitate. Inquit Hippocr. Praenot. XII. ⚌ Vomitus commodissimus est ex pituita ac bile quam maxime permixtus, et non crassus valde, neque multus. Si vero id quod vomitu rejectum est prasini fuerit coloris, aut lividum, aut nigrum: quicunque horum fuerit colorum, malum esse putandum est. Si vero omnes colores idem homo vomit, valde perniciosum hoc est: celerrimam autem mortem significat lividus vomitus, si graveolens fuerit. Omnes vero subputridi, ac foetidi odores in omnibus vomitibus mali sunt. ⚌ Si vomitus sit symptomaticus, observanda est primarii morbi natura, de quo etiam ex ipso vomitu praesagium instituimus, ut in coac. praenot. aliisque libris docet divinus medicinae parens. Si consensualis sit vomitus, modo est levis, modo gravis, prout levis vel gravis est morbosa affectio partium, quae cum ven-

triculo consensum habent. Interdum in gravidis salutaris est; cum scilicet postea succedit levamen, et ciborum appetentia: interdum damnosus, ut frequens, pertinax, violentus. Maxime utilis est in vehementioribus et extremis partus conaminibus, siquidem efficit, ut citius foetus ad lucem veniat. Tandem ruminatio ut plurimum diutina est. Si primaria et non expuantur alimenta, judicatur ut affectio foeda, sed melius illa manduntur alimenta, et immiscentur salivae; tamen aliquod affert incommodum, ut ventris duritiem, aut dejectiones valde raras: dum vero despuuntur alimenta, periculosa est; nam sequitur debilitas ingens, nocturna inquies, consumptio: tamen opportunis diligentiis et etiam auxiliis tam prava consuetudo eripi potest. In ruminatione autem symptomatica, etsi non expuantur alimenta, saepe consequitur macies, quae vero ab aliquo insuperabili morbo proficiscitur.

§. 1092. Curatio vomitus in subducendis caussis consistit. Si igitur nausea et vomitus a saburris, indigestis materiis, prava bile nascantur, adhibeantur quae eum adju-

vant, ut aqua tepida cum oleo, aut aliquod leve emeticum. Interdum sufficit digitis irritare fauces. Sed si in ventriculo impurae materiae abundant, etiam diluentia conferunt, ut potiones ex jure pulli, ut et clysteres, et aliquod eccoproticum. Si impuris evacuatis materiis, talis remanet ad vomitum dispositio, ut omnia evomantur, conveniunt antiemetica, opiata, roborantia, ut sal absynthii cum succo mali medici, infusio ligni quassiae, decoctio radicis columbi, corticis angusturae, peruviani, tinctura thebaica, laudanum liquidum cum aliqua aqua stillatitia, opium, potiones ex aqua nivea; et exterius, scilicet super epigastricam regionem, theriaca. Alimentum sit leve, parcum, digestu facile; parce concedatur vinum, et modica sit corporis exercitatio. Interdum caussa vomitus in intestinis extat, ut multae collectae faeces; tum detur oleum seminum ricini, aut amygdalarum dulcium, et injiciantur clysteres emollientes et oleosi. Liquidum et parcum sit alimentum. Si in caussa sit morbosa ventriculi sensibilitas, expediunt decoctiones corticis peruviani, martia-

lia, balnea, et aliqua corporis exercitatio; si illius atonia et inertia, tonica et aromatica, et etiam emetica ad refractas doses, et equitatio, et super regionem epigastricam vesicantis, aut substantiarum aromaticarum applicatio. Si deficientibus consuetis sanguinis fluxibus, a plenitudine vasorum ventriculi nascitur vomitus, oportet sanguinem mittere, et hujusmodi revocare fluxus, quod praecipue hirudinibus obtinetur. Si vomitus a venenatis substantiis movetur, hae vomitu ipso expelluntur, et ideo interdum adjuvandus aqua tepida, ipecacuanha, tartaro emetico; dum scilicet vomitus non sit immanis et lethalis, ut ille ab erodentibus venenis excitatus. Exhibenda sunt antidota, aut saltem quae corrigunt, obtundunt, diluunt, involvunt veneniferas substantias; et ad leniendos spasmos opiata, et emollientes, demulcentes, oleosi clysteres adjuvant. Si ab acidis in ventriculo existentibus incitatur vomitus, ut evenit in pyrosi, porrigantur lenia purgantia, absorbentia, alchalina, et quae sensum molesti ardoris imminuunt. In pyrosi vero dum adoriuntur vomitus, saepe

prosunt antispasmodica; in intervallis tonica, ut cortex peruvianus, martialia. Sed quia non datur certa medendi ratio, plura ab auctoribus laudantur remedia, ut nux vomica, magisterium bismuthi ad unum vel alterum granum cum pauco saccharo, amaricantia, stomachica. Si autem vomitus sit symptomaticus, primarii morbi naturae aptentur medicamina. Si igitur hujusmodi morbus sit ventriculi callositas, scirrhus, steatoma, usurpari solent, sed saepe sine fructu, resolventia, ut extractum graminis, taraxaci, cicutae virosae, gummi ammoniacum, sapo medicinalis, mercurius, etc; et per vices victus levis, parcus, fluidus, et etiam nutrientes clysteres: si ventriculi ulcera, emulsio arabica, decoctiones hordei, oryzae, radicis salep, jura pulli, vitulinae carnis, ranarum: si obstructio hepatis, lienis, resolventia. Si vomitus est febrium symptoma, observandum quae ipsae sint. In febribus intermittentibus, et praesertim in perniciosa emetica, praecipuum remedium est cortex peruvianus, et opium. Si vomitus proveniat a podagra, haec ad propriam se-

dem est revocanda; ut si ab exsiccatis alicujus partis ulceribus, in ea est renovanda morbosa secretio, quod applicatione vesicantis fit. Saepe a chlorosi vomitus pertinax producitur; tum praeter curationem, quae in eam fieri solet, ad illum refraenandum antiemeticum Riverii, et laudanum liquidum in aqua stillatitia maxime juvant. Etiam pro consensuali vomitu, quae sit primaria affectio, perpendere necesse est. Ille gravidarum resistit remediis; tamen interdum utilia sunt anodyna, antispasmodica, et in plethoricis mulieribus sanguinis missio, et ubi alvus est compressa, aliquod eccoproticum. Cum gravidae paullo post sumpta alimenta evomant, consequitur magna virium debilitas, aliaque plura incommoda. Hoc in casu sollicite quaerendum est, quae res ab ipsis sit magis cupita; haec enim non solum nutrit, sed vincit ipsum vomitum, vires et ventriculi robur augendo. Vidi mulierem omnia evomentem usque ad septimum gestationis mensem coffeae potione cum pane tantum enutriri, quam solum cupiebat, et retinebat. Quoad autem primariam ruminationem, in primis

opus est ciborum in os reditum reprimere, et ructuum explosioni resistere. Cibus vero sit parcus, expeditae digestionis, bene dentibus teratur, parce hauriantur liquida, et excludantur vegetabilia, parum nutrientia, et acida. Si expuantur alimenta, curandum est, ut illa in os reversa iterum deglutiantur, et ruminatio ipsa comprimatur. Post pastum autem optimus est rerum jucundarum, et aromaticarum usus. Tandem si ruminatio sit symptomatica, in primarium morbum opponantur remedia, dummodo ejus natura sinat.

GENUS SECUNDUM

Ileus

§. 1093. Morbus alvo pertinaciter clausa, vomitu versus finem stercoreo, doloribus abdominis, et borborygmis stipatus, ileus vocatur. Alia etiam ad hunc denotandum usurpantur nomina, ut passio iliaca, volvulus, miserere, et ab Alibert enterelesia. Quamvis ileus a vomitu praecipue consti-

tuitur, per characteristica foenomena ab hoc differt, ut sunt alvus obstinate clausa et atrocia dolorum circa umbilicum tormenta. Differt etiam a colica, quia in ipso frequens est vomitus et versus finem materiarum stercorearum, maxima virium prostratio, et intestina agitantur, volutanturque. Ileus vel a vehementissima intestinorum inflammatione producitur, vel illi haec supervenit; tamen quia datur inflammatio intestinorum, quin urgeant ilei symptomata, et quia interdum nascitur ileus a caussis, quae motum intestinorum peristalticum invertunt, quin statim evolvatur inflammatio, ut a defectu febris, aliorumque symptomatum, quae sunt ab inflammatione inseparabilia, deprehenditur, unum ab alio morbo separant Nosologi.

§. 1094. Incipit ileus cibi fastidio, nausea, ructibus, anxietate; deinde vomitus, alvus clausa, dolores, maxime circa umbilicum, ventris distensio, borborygmi, sitis accedunt. Rejiciuutur prius alimenta, potiones, bilis, aliique humores; postremum faeces, et ipsae materiae clysteribus inje-

ctae; nam valvula coli facile cedit, ejusque deducitur hiatus. Alia etiam saepe et graviora praesto sunt symptomata, ut respiratio laboriosa, singultus, convulsiones, delirium, somnus interruptus, immites dolores, summa virium dejectio, meteorismus, extremitatum frigus, animi deliquia, pulsus inaequales, intermittentes, exiles. Quoniam ileus, ut diximus, modo ab inflammatione oritur, modo ei prompte inflammatio succedit, hinc saepe non deest febris, pulsus durus, urinae retensio, aut urina pauca et flammea, sitis inexplebilis. Inter autem ilei symptomata interdum sunt quae aliis praeminent, et caussam indicant, a qua nascitur morbus. Idcirco si ab intestinorum inflammatione, adsunt praecipua enteritidis foenomena, et saepe ubi sedet dolor, tumor renitens deprehenditur; si a flatibus, praeter alvum adstrictam borborygmi, tormina, et loco vomitus frequentissima flatuum eructatio, dolor supra umbilicum, et flatus non faeces alvo excluduntur: si ab induratis faecibus, praecedit alvi durities sine dolore, dein paullatim distenditur venter,

et tactu cognoscitur, intestina faecibus turgescere; tandem aggreditur vomitus prius biliosus et pituitosus mox stercoreus; febris deest: si a vermibns, eorum observantur signa; et subinde cum aliis materiis evomuntur vermes: si a venenis, multa sunt et saepe lethalia symptomata, prout fert eorum natura: si ab intestinorum strangulatione, ut in hernia incarcerata, singultus, anxietas ingens, vomitus frequens et cito stercoreus: si a spasmo, dolores immanes: si ab introsusceptione intestinorum, omnia sunt graviora, et inflammatio supervenit: si ab intestinorum compressione, quam duritiae et scirrhi viscerum faciunt, horum morborum non deficiunt signa, et saepe tactu hujusmodi tumores percipiuntur. Non raro haec compressio ileum chronicum inducit, ut in adolescentula moniali observavit Sauvages, quae tumores scirrhosos in mesenterio gerebat.

§. 1095. Caussa ilei proxima est motus peristaltici intestinorum inversio. Caussae autem quae hunc inversum motum excitant plures sunt. Hippocrates in variis libris loquitur de

volvulis, et in tertio de morbis xv. eos ab inflammatione deducit, ut hisce verbis patet = Volvuli fiunt quum supernus ventriculus calescit, infernus vero frigescit. Resiccatur enim simul intestinum, et prae inflammationis caliditate obturatur, ut neque flatus, neque cibi pertranseant, sed venter durus sit, et quandoque vomat, primum pituitosa, deinde biliosa, postremum stercus. Et aeger sitim habet, ac dolorem, maxime circa praecordia. Verum et totum ventrem dolet, et inflatus est, et anxius est, et febres corripiunt, et fiunt maxime septima die = Inter autem infirmitates, quae generantur a flatibus, adnumerat volvulos. In lib. enim de flatib. xv. inquit = Porro sunt aliquae aliae infirmitates, utpote volvuli, agitationes intestinorum, atque oppilationes: quod autem hae ipsae omnes a flatibus caussam habeant, nemini puto non manifestum esse = Volvuli ab hac caussa venientes a Foresto, aliisque practicis fuerunt observati; unde Sauvages inter ilei species illam ponit, quae dicitur, ileus physodes. Non infrequentes autem ilei caussae excitantes

sunt induratae faeces, saburrae, vermes, vitiosa bilis, prava alimenta, venena; animi pathemata, praesertim ira; abusus fermentatorum liquorum; repentinae aëris vicissitudines; repercussiones exanthematum, impetiginum, podagrae; suppressio menstruorum, et haemorrhoidum; spasmi, colici dolores; introsusceptiones intestinorum, eorumque compressiones, callosa durit ia; ani imperforatio; etc. Alibert vehementissimum volvulum ab immodicis venereis voluptatibus productum vidit.

§ 1096. Ileus est morbus discrimine plenus et saepe lethalis; tamen caussae et symptomata spectentur, ut ejus praenoscatur exitus. Interdum enim caussae non difficile abiguntur, ut induratae faeces, vermes etc; interdum superari nequeunt, ut inflammationes vehementissimae, prompte in gangraenam abeuntes, introsusceptiones intestinorum, et compressiones a scirrhis viscerum factae, venena, etc. Symptomata aut salutis spem fovent, aut calamitatem indicant. Ad prima pertinet alvus non tam pertinaciter clausa; dolores locum mutantes; si absit

inflammatio ; si dolores et vomitus non sint assidui, sed per intervalla affligentes ; si clysteres recipiantur et restituantur ; si vires aegri vigeant: ad alia summa debilitas; vomitus continui, foetidi, stercorei ; singultus ; pulsus exilis; spasmi; convulsiones; delirium; surditas; animi deliquia ; extremitatum frigus ; ventris distensio, et inflatio; urinae suppressio ; dyspnoea, inflammatio vehemens cum acuta febre, quae in gangraenam facile transit. Inter lethalia symptomata sunt quae gangraenam et sphacelum indicant, ut subita dolorum absque ratione cessatio, maxima virium dejectio, pulsus debilis, exilis, animi deliquia, sudor gelidus, frigus extremitatum, singultus, delirium, halitus foetidissimus. Varia inveniuntur apud Hippocratem quoad ilei symptomata. De morb. 3. xv. 35. inquit = Fortassis enim et inferna alvus soluta ipsum occiderit = Si enim aliis gravissimis foenomenis alvi fluxus superveniat, sphacelum jam absolutum denotat. In coac. praenot. III. 314. adest aphor. non bene intellectus, qui ita se habet =

Ἐπι στραγγουρίῃ εἰλεὸς ἐπιγενόμενος εβδομαίους ἀπίλλυσιν, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομενου, ἀθρόον οὖρον ἔλθῃ. In stranguria volvulus accedens, septima die perimit, nisi exorta febre, urina copiosa fluxerit ∺ Vario modo hujusmodi textus exponitur, sed melius mihi videtur cum Galeno fateri, quae Hippocrates dixerit nos non intelligere; et suspicari, an ipse textus legitimus sit.

§. 1097. Pro tam ancipiti et acuto morbo, qui si intra septem dies non resolvatur, occidit, plura fuerunt adhibita remedia, quorum alia tentanda, alia fugienda sunt. Sed antequam de hisce loquamur, quae sit tutior medendi ratio statuamus. Remedia talia esse debent, ut adversentur caussis, et compescant symptomata, ut sunt vomitus, atroces dolores, alvus clausa, etc. Quapropter si ileus ab intestinorum inflammatione nascatur, pro viribus, temperamento, et aetate aegrotantis instituantur venae sectiones; abdomen inungatur oleo tepido, et emollientibus decoctionibus foveatur; clysmata oleosa et emollientia injiciantur; ad uncias plures detur oleum amygdalarum dul-

cium; adhibeantur potiones ex decoctione radicis althaeae, aut foliorum malvae, quas aeger parca dosi, sed frequenter hauriat; fiant balnea tepida, aut semicupia; pro victu jura pulli quarta quavis hora concedantur. In hujusce morbi curatione stimulantia quaeque, et purgantia fortiora evitentur. Si ileus ab induratis faecibus, et a saburris proveniat, expediunt purgantia oleosa, diluentia, fotus, clysteres. Sed interdum faeces in recto intestino collectae ita circa anum haerent, ut nec exeant, nec ingressum rerum permittant, quae per clysmata immittuntur; et tum apto instrumento eas extrahere necesse est. Si caussa sint vermes, juvant purgantia, et anthelminthica, ut oleum seminum ricini, mercurius dulcis, semen santonici, tanacetum, etc. clysteres ex lacte et substantiis anthelminthicis parati. Si ileus ortum habeat a podagra in intestina translata, statim pediluvia, sinapismi, vesicantia sunt praescribenda; ut si a retrocessu impetiginum, vesicantia, et quae contra istas efficaciter pollent. Ubi autem practici de introsusceptione intestinorum in

suspicionem venerunt, ut si post graviorem colicam, aut ipsam iliacam passionem uno abdominis loco fixus haereat dolor et perseveret, et lenta corporis consumptio accedat, siquidem vix tolerantur humida alimenta, plura tentarunt remedia, egeruntque pericula. Etenim adhibuerunt hydrargyrum ad magnam dosim; globulos plumbeos, aureos; injectiones ex aqua tepenti ope machinae hydraulicae, cujus auctor fuit Steph. Hales, et quam deinde alii laudarunt, et in usum posuerunt; aërem in intestina magna vi per follem immissum, ut jam Hippocr. de morb. III. XV. 24. ita innuit ∺ ἢν δὲ μὴ φύσαν χαλκεύτικην ἐσιέναι καὶ φυσᾶν ἐς τὴν κοιλίην, ἵνα διαστήσῃς τήν τε κοιλίην καὶ τὴν τοῦ ἐντέρου ξύστασιν. Sin minus follem fabrilem indito, et in ventrem flatum immittito a quo et ventrem, et intestini contractionem distendas ∺ Praeterea etiam gastrotomiam proposuerunt. Enitebantur igitur a sua vagina intestinum introsusceptum extricare aut per pondus hydrargyri, et globulorum plumbeorum, vel aureorum,

aut per aquam injectam, aut per immissum aërem, aut per incisionem abdominis volvulum invenire, manibusque enodare. Ex his vero alia cum periculo peraguntur; tamen ubi urget necessitas experienda, sed caute; alia omnino rejicienda. Hydrargyrus ubi adest inflammatio, hanc non potest non augere; et ubi pars superior intestini ab inferiore recipitur, efficiet, ut magis illa descendat: tamen in jam deploratis tentandus, siquidem hujus utilitatis non desiderantur exempla. Etenim fieri potest, quod per suum pondus introsusceptionem resolvat, si pars inferior intestini a superiore excipiatur. Quoad autem hydrargyri quantitatem propinandam, variant auctorum mentes; nam alii semilibram; alii libram unam vel alteram praescribunt: sed Burserius Inst. med. pract. §. cxii. inquit = Prudentissme autem se gerunt, qui ejus quantitatem definiunt ab uncia una ad duas, vel etiam interdum ad quatuor. = Globuli vero plumbei aut aurei, quorum duo aut tres successivis diebus proponuntur, maximum inferrent damnum, si extaret inflammatio, sicut ut

plurimum evenit. A nonnullis hujusmodi globuli in medium efferuntur contra ileum vel ab induratis faecibus, vel a vermibus profectum. Aqua tepens ope machinae hydraulicae injecta ob magnam quam inducit intestinorum distensionem esse potest damnosa, et etiam lethalis, si resistentiae sint insuperabiles, sicut considerat P. Franch; tamen incassum aliis adhibitis remediis, fieri potest hujusmodi injectio, sed lente et paullatim, ac ager ita ponatur, ut cubitis genibusque innitatur. Hoc modo injici potest usque ad quatuor, quinque, et sex libras aquae. Eodem tempore super abdomen fiant unctiones oleosae; et repetatur injectio donec excitetur dejiciendi voluntas. Cum vero moventur dolores, injectione aliquantisper desistemus, et deinde eam iterabimus. Inter celebrata in ileum medicamina invenitur tabaci fumus ope fistulae in anum insufflatus, utpote irritans et intestina ad dejectiones sollicitans. Hoc vero uti non debemus, si signa nobis inflammationis suspicionem dent. Laudatur etiam subitanea in abdomen et extremitates inferiores frigidae af-

fusio, a qua interdum solvitur alvus. Maxime autem et merito extolluntur balnea ex aqua egelida, quae etiam fieri possunt ex oleo. A tepidis balneis prompte sedantur dolores, resolvuntur spasmi, mollitur abdomen, recreantur aegri, qui postea placide dormiunt, et recuperant vires, ut pluries in nosocomio S. Spiritus observare potuimus. Remedia denique, quae morbi symptomata comprimunt, plura esse possunt, ut in frequentem et pertinacem vomitum antiemeticum Riverii; in alvum clausam purgantia, praesertim oleosa, et clysteres emollientes, quibus interdum addi potest aliquod medicamentum exstimulans, ut sal gemma, electuarium lenitivum; in spasmos, et summam virium debilitatem, aquae stillatitiae ut menthae, foeniculi, florum aurantiorum, cinnamomi cum laudano liquido Sydenhami, confectiones cardiacae. Quoniam autem ileus facile recurrit, reserata alvo, et evanescentibus symptomatibus, non sunt protinus linquenda remedia, praesertim quae apertam servant alvum; et victus sit tenuis et liquidus; et posteaquam aeger vires et

sanitatem receperit, diligentissime caussas excitantes evitet.

GENUS TERTIUM

Cholera

§. 1098. Cholera, graecis χολερά, est acutus morbus, cujus praecipuus character consistit in violentis vomitibus et eodem tempore copiosis materiarum biliosarum, acrium, et corruptarum dejectionibus, quae ut plurimum gravissimis symptomatibus conjunguntur, ut sunt dolores abdominis, spasmi, anxietas, virium dejectio, extremitatum frigus, pulsus celeres, debiles, obscuri. Quare voci cholerae adjiciatur morbus, latet; sed forsan ut cholera ab iracundia, et simplicibus vomitibus biliosis distinguatur. Alibert hunc morbum vocat cholerragiam, sed satius mihi videtur nomen tam veteri usu confirmatum, et per omnium ora diffusum retinere. Illi autem, qui cholera laborant, dicuntur cholerici, graecis χολερικοὶ seu χολεριῶντες.

§. 1099. Hippocrates divisit choleram in siccam et humidam. Haec est excretio vehemens bilis, aliarumque peccantium materiarum per os et anum, una cum symptomatibus supra expositis; sicca est cum multus aër distendit ventrem, summam anxietatem infert, et deinde cum impetu ex ore et recto intestino erumpit. Sed cholera sicca, ut animadvertit P. Franch, est plerumque chronica affectio, et potius hystericae et hypochondriacae affectionis symptoma; tamen interdum a practicis doctrina et experientia praestantibus fuit observata. Sydenham describens choleram epidemicam an. 1669. sect. IV. cap. 2. ita inquit = Est etiam et cholera sicca a spiritu flatuoso supra et infra erumpente, idque sine vomitu, vel secessu; cujus unicum dumtaxat exemplum me vidisse menimi, ineunte hujus anni autumno, quo tempore prior illa species mihi creberrime, et facto quasi agmine sese obtulit. = Postea cholera fuit in veram et spuriam distributa. Est vera, si supra et infra redditur bilis aliique vitiosi humores; spuria, si tantum potiones, et corrupta alimenta.

Haec divisio utilis est; nam istae species et quoad caussas, et quoad gravitatem et periculum valde differunt. Cholera enim vera maxima probabilitate nascitur a caussis generalibus, et alea plena est; spuria a caussis localibus, et periculo vacat. Quidam recentiores cholerae spuriae illam adscribunt a deglutitis venenis ortam, aut ad animale, aut vegetabile, aut minerale regnum spectantibus. Verum hujusmodi opinio licet primo intuitu amplectenda videtur, siquidem cholera vera est spontanea, tamen maturo examine non satis rationi innixa deprehenditur. Enimvero cholera, quae nascitur a nimiis, et incoctis alimentis est reapse spuria, et a vera distinguenda; sed hoc dici non potest de illa a venenis orsa, quae saepe in universum systema et in partes agunt, et inde eadem producunt effecta, ac caussae legitimae cholerae. Nonnulli autem sine ratione choleram dividunt in apyreticam et febrilem, quia interdum febris eam comitatur. Sed ut subinde cholera est febrium symptoma, sic subinde cholerae, praesertim gravioris, febris est. Alibert statuit duas species

cholerae, scilicet primariam et symptomaticam. Primariam vocat, quae spontanea est, et saepe ab ignotis caussis nata; symptomaticam, quae oritur a venenatis substantiis, praesertim a fungis. Sed venena, ut jam observavimus, sicut aliae caussae possunt operari, et primariam choleram, ejusque symptomata inducere. Tandem plures recentiores partiuntur choleram in hypersthenicam et hyposthenicam; dum alii naturam hujusce morbi hypersthenicam non admittunt, aut saltem in ea subsistunt. Narrat P. Franch, nunquam sthenicam choleram vidisse. Tamen negari non potest, hanc aliquando esse hypersthenicam, ut plures auctores fide dignissimi testantur. Nobis vero aptius videtur, choleram in primariam, symptomaticam, secundariam; veram, et spuriam; sporadicam, endemicam, epidemicam, contagiosam partiri. Primaria nascitur a caussis saepe abditis, et spontanea est: symptomatica ab aliis morbis, ut a febre intermittente perniciosa, quae dicitur cholerica; ab inflammatione ventriculi et intestinorum, et hanc choleram vocat Sauvages inflammatoriam; a vermibus,

et tum laudatus auctor verminosam appellat, eamque observavit, ut inquit Nosol. Meth. class. IX. p. 354. = Est ea quae a materie verminosa in primis viis latitante excitatur. Hujus exempla aliquot observavi in puerulis, apud quos materies illa verminosa eosdem ac venenum effectus edebat =: secundaria a praegressis morbis, ut illa ab arthritide repulsa, quam Sauvages dicit arthriticam, et qua mortuus est Sydenham. Sporadica est temperatiorum climatum, endemica, epidemica, contagiosa calidorum propria, ut Arabiae, Americae meridionalis, Indiarum. Vera autem cholera, quantum ad gradum, in mitem, graviorem, gravissimam distingui meretur. Mitior et gravior apud nos observatur saepius sporadica, interdum epidemica; gravissima sive maligna, sive pestilens, in Indiis Orientalibus endemica, epidemica, et contagiosa debacchatur, unde a Nosologis dicitur cholera indica, quae nostris temporibus per Europam propagatam, terrorem intulit et cladem. Nos igitur prius de cholera nostrate, sive mitiori sive graviori, quae plerumque desistente aestate et

ineunte autumno grassatur; deinde de cholera indica, sive gravissima sermonem habebimus.

§. 1100. Cholera mitis mitioribus stipatur symptomatibus. Hanc praecedunt inappetentia, os amarum, sitis, sordida lingua, flatus, ventriculi tensio, lassitudo; deinde corripiunt ventriculi et intestinorum dolores cum anxietate, et superveniunt vomitus et alvi fluxus. Materiae, quae supra et infra redduntur, sunt prius alimenta et potiones, quae continentur in stomacho, et faeces in intestinis; deinde humores biliosi, amari, acres, rodentes, qui cum impetu expelluntur. Hinc omnia mitescunt symptomata, et etiam cessant, sed postea iterum prodeunt majore vel minore violentia, et ita per unam et alteram, aut plures dies procedit morbus. Dum vero cholera gravior est, omnia graviora sunt, et utplurimum sine praecedentibus symptomatibus adoritur; et ubi haec non deficiunt, pleraque spasmodicam indolem praeseferunt, et continuo augentur, ut lassitudo; inappetentia; oris ariditas; sitis; cardialgia; dolores lancinantes circa prae-

cordia et umbilicum cum ardoris sensu; tumor abdominis cum strepitu; anxietas ingens; cephalalgia; vigilia, contusionis et lacerationis in variis corporis partibus sensatio; urinae luteae, flammeae, turbidae, foetidae; pulsus celeres, frequentes, inaequales. Deinde incipit morbus et cum vehementi nisu enormes et copiosi vomitus, et eodem tempore effraenae alvi dejectiones. Inter initia evomuntur ciborum fragmenta, et etiam humores lutei, subvirides, spumosi; et secessu materiae faecosae et solutae emittuntur. Persistunt violentae ejectiones et dejectiones liquidae, modo luteae, modo subatrae, modo nigrae et piceae, modo foetidissimae, modo acidae et rodentes, et magis intolerabiles fiunt dolores, unde maxima anxietas, et animi dejectio; distenditur abdomen a copioso aëre, cujus portio cum dejectionibus expellitur. Ut plurimum materiae vomituum sunt biliosae, virides, porraceae, acres, et mucis mixtae; sed aliquando lymphaticae, albae, aut glutinosae, aut sanguinolentae loturae carnis similes. Facies usque ab initio fit pallida, a naturali valde

dissimilis, praecipue ubi enormes et violentissimi sunt vomitus et dejectiones, et dolores immanes. Pulsus fiunt celerrimi, debiles, exiles; internae partes urunt, dum externae frigent; retrahuntur abdominales musculi versus spinam; adest contractio spasmodica brachiorum, et surarum, et per hanc digiti pedum et manuum incurvantur; saepe totum corpus convulsionibus conflictatur; urget ani tenesmus; sitis ardentissima; supprimuntur urinae, et ubi redduntur, sunt urentes; superveniunt animi deliquia, vertigines, singultus; eo magis extremitates frigescunt; livescunt ungues; frigidus sudor fronte, aliisque partibus manat; manus contremiscunt; vox stridula, rauca gradatim deperditur; os et lingua nigrescunt; excavantur oculi; extenuantur et arescunt nares; aeger prius delirans fit stupidus, et tandem spasmorum violentia, et superveniente gangraena decedit. Hujusmodi morbus et per ingentem humorum jacturam, et per immites dolores et spasmos, saepe ad viginti quatuor horas non pervenit; sed ubi non est tam vehemens ad duas, tres et plures dies

extenditur, sed nunquam septimam diem superat, nisi in alium morbum degeneret. Interdum evenit, ut post unius diei spatium melius sit morbo, lenique sudore cutis madet; sed persaepe hujusmodi levamen breve est et fugax: rursus enim et atrocius aggrediuntur morbi symptomata, aliaque adjunguntur, ut vomitus et dejectiones, virium debilitas, halitus oris foetidissimus, singultus, animi deliquia, praepedita deglutitio, tendinum subsultus, convulsiones, gangraena, mors. Interdum vero, quamvis raro, hoc levamen perstat, pergunt universales sudores, faeculentae materiae magis concoctae et figuratae apparent, et ita aeger ad salutem vergit. Nostras cholera dum populariter grassatur, aut mitior est aut gravior, sicut apud epidemiarum scriptores colligitur. Sydenham ita descripsit cholerae epidemiam an. 1669. = Malum ipsum facile cognoscitur, adsunt enim vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate et angustia per alvum dejectio. Ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio, et distensio; cardialgia, sitis. Pulsus

celer, ac frequens cum aestu et anxietate, non raro etiam est inaequalis; insuper et nausea molestissima, sudor interdum diaphoreticus, crurum et brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilis notae symptomatibus, quae astantes magnopere perterrere faciunt, atque etiam angusto viginti quatuor horarum spatio aegrum interimunt. = Ex adverso Paulus Gorno cholerae epidemiam exaravit, quae per provinciam Brixiensem an. 1817. diffusa, nunquam morte terminabatur. Hujusce epidemiae insimulavit aëris inconstantiam, et caloris, frigoris, humiditatis, et siccitatis vicissitudines. Morbus incipiebat tremoribus, horroribus, et ventris tumore; mox accedebant dolores, nausea, debilitas virium, continuus vomitus et effusa diarrhoea. In gravioribus casibus non amplius percipiebatur pulsus, et articulorum superveniebat crampus. Saepe cum dejectionibus alvi exsiliebant lumbrici, et deinde aegrotantes melius se habebant; sed per quemvis errorem, etsi levissimum, quoad victum praecipue et aërem patratum, in

morbum iterum incidebant. In hac constitutione epidemica cholera etiam sibi ipsi relicta nullum peremit, nec mulieribus abortum fecit, quamvis exactis jam pluribus graviditatis mensibus aggrederetur. Cholera autem spuria, quae a Sauvages vocatur crapulosa, est brevis morbus, quo natura impetu impuras, et haud digestas materias expellit. Persaepe vomitus et alvi dejectiones eodem temporis momento contingunt; sed interdum vomitus praecedit, et ubi diarrhoea supervenit, interdum desistit vomitus. Adsunt morbi cum quibus cholera legitima confundi potest, ut dysenteria, et colica biliosa. Sed in dysenteriae initio vomitus, si adsit, nunquam est tam violentus et constans, ut in cholera; dejectiones dysentericae sunt exiguae, foetidae, mucosae, sanguine mixtae, interdum saniosae, et ideo ab illis cholerae dissimiles, quae sunt copiosae et fluidae; denique in dysenteria urget molestissimus tenesmus, qui si adsit in cholera, nunquam tam atrociter excruciat. In colica autem biliosa praesto sunt vomitus et dejectiones biliosae, et aliquando tantus est vomitus et alvi dejectio, ut

facile transeat in choleram; sed donec morbns suum servat characterem, vomitus non sunt nec tam continui, nec tam enormes sicut in cholera.

§. 1101. Caussa proxima cholerae est ventriculi et intestinorum irritamentum, unde nascitur spasmodica eorum agitatio, motuumque perturbatio. Quoniam interdum hoc irritamentum ingens est, ventriculi et intestinorum inflammatio, aliaque gravioris cholerae pathemata propria producuntur. Huic morbo magis parati sunt homines plethorico et cholerico temperamento praediti; qui stomachi et intestinorum maxima sensilitate pollent; et qui canalis alimentarii morbosos affectus perpessi sunt. Inter excitantes caussas in primis ab auctoribus ponitur succorum stomachi et intestinorum vitium, ut bilis copiosa et acris, alii humores rodentes, quaedam aciditas, quae generatur in stomacho; sed aliae plures sunt, ut animi pathemata, praesertim ira, emetica, drastica, venena, suppressa perspiratio, arthritis in abdomen conversa, frigidae et abundantes potiones, alimenta vegetabilia, carnes nimis

pingues, paludum miasma, fructus horaei in stomacho infirmo fermentationem subeuntes, vespertinum frigus a corpore excalefacto susceptum, ardens aestatis calor, etc. Aëris aestus humores ad degenerationem disponit, acriorem reddit bilem, primasque vias impuri fomitis onerat; hinc est praecipua caussa epidemiarum cholerae, ut et repentinae aëris mutationes, pravaque alimenta. P. Franch, aliique non existimant, choleram ab acri bile per calores aestivos proficisci; sed hujusmodi bilem ab ipso morbo produci autumant. Id quidem fieri potest, quia sub statu morboso organorum vitiosi secernuntur humores, ut vitiosa bilis ab affecto hepate; sed dubitari nequit, quin a fervido aestatis calore immutetur humorum massa, unde depravati humores separantur ab organis.

§. 1102. Cholera vera saepe est acutissimus et lethalis morbus; sed ut incerta non sit praedictio, decernere debemus morbi gradus, caussas, et symptomata. Dum enim mitior est gradus, leviores caussae, et mitiora symptomata, faustus ut plurimum est exitus,

praecipue si matura et recta instituatur curatio; sed si gravior sit gradus, caussae validiores, immania symptomata, exitus est plerumque fatalis, maxime pueris, senibus, enervatis. Refulget spes, si vires non adeo sint dejectae, arteriae satis valide micent, morbus ad septimam diem et ultra protrahatur, manet cum levamine universalis sudor, somnus recreet, conquiescat vomitus, faeculentae materiae magis concoctae et naturales sint, per inferiora erumpant flatus, redeat artuum aequalis calor, urinae cum ardore reddantur; nam omnes cholerici dysuria correpti judicantur. Rursus mala indicia sunt virium destitutio, pulsus exilis, intermittens, inaequalis, anxietas, sitis vehemens, internus calor, ejectiones et dejectiones impetuosae materiarum viridium, acrium, atrarum, foetidarum, respiratio difficilis, palpitatio cordis, singultus, animi deliquia, frigus extremitatum constans, convulsiones, spasmodica surarum aliorumque artuum contractio, tendinum subsultus, os et lingua nigra, praepedita loquela et deglutitio, halitus foetidissimus. Plura ex hisce signis ma-

ximum morbi discrimen; ana gangraenam, sphacelum, et mortem instantem indicant. Cum autem cholera est epidemica, modo gravior modo mitior est, ut jam innuimus; hinc usque ab initio epidemiae ingenium est observandum, subinde exitiale, subinde mitissimum, ut a relata epidemia Brixiensi evidentissime patet.

§. 1103. Curatio simplex esto, ut jam docuit immortalis Sydenham. Illa enim quam ipse instituit, copiosis potionibus ex jure pulli aut simplici, aut cum syrupo lactucae, violarum, portulacae, nymphaeae, eodemque tempore clysteribus ejusdem fluidi; deinde aliquo paregorico, praecipue laudano liquido continetur. Ut vero ejus praecepta, quae postea tradit, sub oculis ponam, quod inquit loc. cit. p. 33. referam = Atque haec quam proposui diluendi humores via multo tutius ac expeditius, quam quae vel per evacuantia, vel per adstringentia vulgo instituitur, periculosissimo affectui occurrit, quippe cum ab illis tumultus concitatior, et ferocior evadat, ac omnia susque deque vertantur; haec e contra hostem

in mediis visceribus detineant, ac ex advena reddant plane inquilinum; ut taceam protracto in longitudinem morbo praeter periculum ex ejusmodi mora, qua in massam sanguinis tandem humores vitiosi irrepunt, atque mali moris febrim facile accendunt, etiam aegris gravissimi mali taedium procreari = Deinde addit considerationem, quae ut aureum praeceptum habenda est nunquam obliviscendum, scilicet = At vero diligenter animadvertendum, quod si non accesserit medicus, nisi postquam aeger vomitu ac dejectionibus ad horas aliquas multas continuatis, puta 10. vel 12. fuerit exhaustus, et etiam frigescunt extrema membrorum; hoc, inquam, casu, omissis aliis quibuscunque auxiliis, recto cursu ad sacram hujus morbi ancoram, laudanum intelligo, confugiendum est; quod non tantum exhibendum est urgentibus symptomatibus, sed etiam cessantibus vomitu ac diarrhoea mane, et sero quotidie repetendum, donec pristinas vires aeger, ac sanitatem tandem receperit. = Plures tamen sunt casus, in quibus curatio aliquantum differre debet. Cum enim

appareant hypersthenicae diatheseos signa, ut temperamentum robustum, pulsus fortes duri, vehementes dolores, sanguinis missio è brachio, et etiam hirudinum applicatio locum habent; praeterea diluentia, ut abundantes potiones ex aqua tepida, aut jure pulli, aut decoctione hordei, et eodem tempore clysteres eadem decoctione, aut jure pulli parati; deinde paregorica, praecipue laudanum liquidum. Veteres, pluresque posteriores, praesertim Scardona, expulso morbi fomite, summopere aquam frigidam laudarunt, quam nunquam expertus sum, siquidem persuasum habeo, potiones diluentes et tepidas esse praeferendas. E contra si usque ab initio morbi signa adsint oppositae diatheseos, ut maxima virium debilitas, pulsus debiles, et cum enormi vomitu et diarrhoea spasmodici dolores, statim expedit opium, ejusque composita, praecipue laudanum cum aqua menthae, melissae, cinnamomi; et ad diluendam expellendamque bilem, et ad compescendam sitim potiones ex jure pulli, aut ex decoctione hordei, cum quibus etiam parantur injiciendi clysteres,

qui vero si effraenae sint dejectiones, et immanes abdominis dolores ex decoctione chamomillae cum laudano componuntur. Alia insuper sunt remedia tam interna, quam externa, quae secundum varios casus a practicis proponuntur. Plures post copiosas potiones diluentes ad continuos et enormes vomitus continendos antiemeticum Riverii adhibent. Veteres et recentiores in maxima virium dejectione parcam vini quantitatem concedunt. Si ventriculi dolores atrociter affligunt, fiunt fotus, et epigastrica regio theriaca, aut laudano liquido illinitur. Dum pulsus sunt exilissimi, frequentia animi deliquia, maxime extremitates frigescunt, ad excitandum calorem fiunt calidae fomentationes, frictiones cum calido oleo, aut vino vel simplici, vel cum herbis aromaticis decocto, et frigida membra pannis calidis involvuntur. Si spasmodica vexat surarum constrictio, frictiones ex oleo camphorato juvant. Curatio autem quae opportuna videtur, non linquenda, donec persistat aliquod morbi symptoma, et ad vomitus et ad spasmos aliqua dispositio. Sed devicto morbo, apta sae-

pe sufficit diaeta ad recuperandas vires, quae in levibus, nutrientibus, et concoctu facilibus consistit. In convalescentia vero diligenter ab actione frigoris, aërisque vicissitudinibus declinandum est, secus nullo negotio reproducitur morbus; et ubi corporis et partium, quae magis afficiebantur, non restituitur vigor, aliquod requiritur auxilium; hinc praeter praescriptam diaetam, utilia sunt martialia, decoctiones corticis peruviani, modicus vini usus, aliqua corporis exercitatio, et in primis campestris et salubris aër. Sed satis de nostrate, ad Indicam choleram sermocinationem convertimus.

§. 1104. Dum innumera extant judicia circa cholerae Indicae naturam, nos in ea versamur opinione, hanc a nostrate nisi pestilenti et contagiosa indole non differre. Cholerae enim orientalis symptomata non sunt reapse dissimilia, quamvis plures hoc negent, qui praecipuam differentiam in defectu pulsuum, gravioribus spasmis usque ab initio morbi saevientibus, majore frigore quod festinanter ad membra permanat, conditione sanguinis venosa, materiis ejectis et

dejectis non biliosis sed serosis inveniunt. Omnia vero haec foenomena a majore ferocia morbi pendere demonstrabimus; et quare materiae vomituum et dejectionum non biliosae, sed serosae sint, exponemus.

§. 1105. Cholera a dissitis usque temporibus secus Gangeticas oras endemica, anno 1817. pestilentem malignitatem acquisivit, et posteaquam patrias regiones nefando multaverit exitio, anno 1824. in Europam transgressa, ineffabili celeritate similibus characteribus per Russiam, aliasque regiones sese diffudit. Haec vero pestilens cholerae orientalis natura jampridem cognoscebatur. Bontius enim de Indiae utriusque re naturali ac medica praeter alios morbos Indis familiares hanc descripsit luem. Id etiam fecit Dellonius in suo opere anno 1689. Amstelod. pervulgato; deinde alii variis temporibus, variisque locis, ut Paysley, Curtis, Duffin, Johnson, Cruiskank, etc. Post ultimam vero cholerae excursionem innumera scripta fuerunt edita; sed summo opinionum discrimine quoad morbi naturam, et adhibenda remedia, vehementer dolemus.

Hujusmodi opiniones persequi longum nimis foret, taediique plenum; tamen nonnullas innuere, inutile non existimo. Alii choleram febrem esse inflammatoriam spasmis generalibus stipatam; alii perniciosam, ut illa est quae dicitur cholerica; alii typhum arbitrabantur. Eques Rossi, qui etiam judicat esse typhum, eam appellat mucosum typhum ratione materiei aqueae et mucosae vomituum et dejectionum, et morbi sedis, quae praecipue est in ventriculo et intestinis. Christie autem contendit, choleram esse membranae mucosae primarum viarum catarrhum, et nomine cholerae catarrhalis vocandam; choleram vero biliosam nomine cholerae pyreticae esse distinguendam. Opinabantur Scarle, choleram in stomachi et intestinorum congestione consistere; Foy esse morbum systematis nervosi spinalis; Gosse ventriculi et intestinorum spasmum. Praeterea plures morbi divisiones fuerunt statutae, ejusque cursus in varia stadia praefinitus. Weckhner duos gradus majoris vel minoris vehementiae considerans, primum choleram epidemicam, seu vomitum orientalem; alterum diarrhoeam bi-

liosam vocavit. Alii diversas descripserunt morbi formas, illique varia dederunt nomina; sed symptomata propria cholerae a symptomatibus secundariis non accurate distinxerunt, quae ut totidem morbi exitus habenda sunt. Alii in tria stadia tribuerunt morbi cursum, et unicuique stadio propria assignarunt symptomata, non secus ac stadiis exanthematum fieri solet. Haec vero divisio nullo innitur fundamento; siquidem nullus datur morbus, in quo symptomata tam differant, non solum quoad numerum et vehementiam, sed etiam quoad ordinem quo manifestantur. Quae primitus comparent, modo ventriculi et intestinorum, modo pulmonum et cutis, modo systematis nervei, modo sanguinei affectionem ostendunt; interdum hujusmodi pathemata catervatim urgent, et eorum malignitatem explicant; interdum lentius alia aliis succedunt. Saepe etiam cholera diversam objicit formam, praesertim inflammatoriam, et nervosam, quod a remotis caussis nunc communibus, nunc localibus, nunc peculiaribus pendet. Sed in tanta symptomatum et for-

mae varietate, ex qua cholera Indica dicitur proteiformis, fere nunquam desunt ejus praecipua signa. Quapropter haec prius considerabimus, deinde praecipuas morbi formas, tandem complicationes, morbosque secundarios, qui aut in ipso cholerae cursu, aut post ipsum evolvuntur.

§. 1106. Cum cholera Indica gravissima est, et instar fulminis aggreditur, se se prodit exitialibus signis; sed cum non est tam ferox, eam praeeunt prodroma sedulo circumspicienda, ut non solum haec remediis, sed etiam ipsa morbi evolutio comprimatur, ut saepe feliciter contigit. Itaque hujusmodi prodroma plura esse possunt, ut lassitudo, nausea, appetitus defectus, digerendi difficultas, lingua albo muco obducta, sitis; sensus oppressionis et ardoris in epigastrio, nec non hujus tumor et aucta sensibilitas; ructus inodori, frequentes borborygmi; interdum diarrhoea, sed non materiei aqueae, quae est constituens morbi signum; capitis dolor, praecipue ad occiput et tempora; vertigines, aurium susurrus, lumborum dolores, frigoris

et caloris vicissitudines, sensus terroris et anxietatis, motus membrorum involuntarii, respirationis difficultas, palpitationes cordis, convellens viscerum agitatio, pulsus debilis, lentus, deficiens, licet interdum oppositam patefaciat conditionem, faciei mutatio. Saepe accidit, quod vix comparentibus prodromis, constituentibus symptomatibus aperitur morbus. Haec sunt vomitus, alvi fluxus, contractiones spasmodicae extremitatum, aliarumque corporis partium, sitis ardens inextinguibilis, internus ventriculi aestus, magna praecordiorum anxietas, spectabilis imminutio actionis cordis et arteriarum, unde pulsus filiformes impercepti, et ut plurimum maxime inter initia morbi frequentiores non sunt, respiratio difficilis suspiriosa, peculiaris vocis alteratio, corpus pallescit frigescit, praecipue ad extremitates ubi frigus est marmoreum, halitus et sudores etiam frigidi, mutantur vultus lineamenta, sanguis venosam conditionem comparat, cutisque fit sublutea, plumbea, in caeruleum vergens, et in variis corporis locis comparent maculae sub-

rubrae, caeruleae, oculi sunt fixi, vitrei, excavati, nigricantibus vel livescentibus circulis circumdati, ungues caerulei, os aridum, lingua tremula, saepe alba, vel ad caeruleum tendens, tremor manuum, sollicita macies, virium destitutio, sed non perstringitur intellectiva facultas. Quandoque vero ab enarratis dissimilia sunt symptomata, aut nonnulla praecipua desunt, aut mitiora occurrunt. Etenim deest vomitus et solum nausea aut vomendi nisus urgent, et diarrhoea; vel ex adverso: interdum et vomitus, et diarrhoea deficiunt; sed id raro evenit. Inter symptomata frequentiores, constantiores, promptiores vomitus sunt; deinde alvi dejectiones, convulsivae contractiones, et spasmi, et saepe haec praecipua foenomena conjunctim adoriuntur. Plerumque materiae vomitus sunt uberrimae, serosae, mucosae, cinereae, albescentes, pellucidae, parum odorae, et persaepe insipidae; interdum acidulae, aut subamarae, virides, obscurae. Rarissime evomitur bilis, ejusque absentia est specificus character cholerae Indicae. Vomitatur autem magno conamine, et

ab hoc forte proficiscitur vomitus cruentus a nonnullis observatns; nam per ruptionem alicujus ventriculi vasis contingere potest. Etiam dejectiones sunt copiosissimae, earumque materiae serosae, et mucosae, turbido lactis sero similes, saepe cum tenesmo; potissimum sub initia morbi. Spasmi qni ut plurimum cum vomitibus et dejectionibns corripiunt, interdum hujusmodi egestiones praecurrunt, saepe vehementissimi, nonnunquam mitiores. Incipiunt ab extremitatibns, et ad alias partes extenduntur, scilicet a pedibus et suris ad musculos abdominales, illosque vertebralis columnae; a manibus ad brachia, et subinde ad musculos faciei, unde oritnr trismus. Dnm morbus vehementior fit, magis variatur vultus, qui livescit, vox fit rauca, frigns ab extremitatibus ad truncnm vehementius excurrit. Non raro post abundantes vomitus et dejectiones aliquod consequitnr levamen, sed saepe fugax; magis perniciosa symptomata iterum apparent. Renovantur borborygmi; supra et infra effuse egeritur; maxima est regionis epigastricae sensibilitas, ubi ardo-

ris et ponderis sensus premit ; augetur debilitas ; oculi fiunt laguidi , concavi , livescenti halone cinguntur , dilatatur pupilla actioni lucis insensibilis ; acuitur nasus , genae excavantur, corrugantur , livescunt ; etiam labia livida fiunt; lingua modo alba et humida , modo rubra et munda ; vox rauca difficile articulatur ; vexant singultus , et ad cordis regionem molestae punctiones ; emittuntur ructus cum pauca materie insipida , et interdum acida ; abdomen contrahitur , praecipue versus umbilicum , ubi interdum haeret aliquis dolor ; maxima conflictat sitis, frigidarum et acidarum potionum desiderium ; secretio urinae constanter supprimitur ; semper augentur spasmi; in variis partibus, praesertim artubus apparent multae et extensae maculae lividae ; ad manus et pedes evidentissimae effinguntur rugae, maximisque spasmis contorquentur digiti ; non amplius percipiuntur pulsus ; ungues subnigri evadunt ; cor inordinate pulsat. Dum cholera est gravissima haec symptomata maxima celeritate conspiciuntur, sibique succedunt ; hinc hisce obsessus

aeger, viribus orbatus, et ut cadaver frigidus, post paucas horas, scilicet duas, quatuor, sex, duodecim moritur. Saepe inter exitialia symptomata est ventriculi et intestinorum inertia, ut a defectu vomitus et dejectionum deducitur, et tum aeger est immobilis, frigidus, et manat viscoso sudore, et etiam lingua frigida est, et soporosus exspirat, aut convulsionibus correptus. Dum cursus morbi non est adeo velox, lentior observatur symptomatum successio; sed haec non differunt, ideoque aeger in utroque casu succumbit. Tamen cum lentior est cholerae cursus, quia majus est tempus ad remediorum administrationem, superari potest morbus. In lentiore cholera, si aeger ipsi per viginti quatuor horarum spatium resistat, observatum fuit, conjunctivam subrubescere, et non raro delirium accedere, dum in rapidiore integrae servantur intellectuales facultates. Cholera aut rapidior aut lentior, licet ad maximum violentiae gradum perveniat, non semper terminatur morte; sed aliquando gradatim decrescit, pulsus fiunt sensibiles, paullatim se surripit chyanosis,

minuuntur spasmi et vomitus, et in dejectis materiis adest bilis, cutis fit mollis, et universali ac calido sudore madida, succedit urinae secretio, et somnus reficiens. Hujusmodi morbi decrementum, si salutares separationes considerentur, ut stadium criseos haberi potest.

§. 1107. Cum cholera Indica per Europae regiones diffunderetur, ob influxum climatis, et anni tempestatum, ob diversam aëris constitutionem, et loca, varias induit formas, praesertim inflammatoriam et nervosam. Frequentius inflammatoria forma observata fuit hyeme, in locis elatioribus, sub constitutione aëris phlogisticis morbis favente, et in hominibus mediae aetatis, robustis, et temperamento plethorico et irritabili donatis, bene nutritis, potionibusque spirituosis indulgentibus. Haec forma facile cognoscitur, ut a traditis descriptionibus colligitur. Morbus incipit gravi capitis dolore, et cum symptomatis cholerae propriis illa adsunt, quae sanguinem versus caput et pectus congestum, et inflammationes viscerum luculenter indicant, quae si sollicite non adhibeantur re-

media, in gangraenam desinunt. Hac frequentior fuit nervosa forma, praecipue aestivo tempore, in locis paludosis, hominibus debilibus, aetate provectis, temperamento atro bilioso, et irritabili praeditis, lasciviae deditis, male altis, animi pathematibus afflictis, morbis nervosis obnoxiis, aliasque aegritudines perpessis. Symptomata quibus sub hac forma prodit morbus sunt plus minusve gravia, praeter alia cholerae consueta. Ut plurimum sunt prompta virium destitutio, faciei pallor, oculi sine naturali nitore, immobiles, respiratio laboriosa, vox exilis, pulsus filiformis, inaequalis, intermittens, marmoreum et universale frigus, etiam lingua frigida, cutis in extremitatibus mox in aliis partibus prius pallida, deinde livescens, frigido et viscoso sudore madens, tendinum subsultus, convulsiones, et interdum tetanus, aut maxillae trismus spumante ore. Ut plurimum sequitur universa paralysis, et aegri nervosa apoplexia pereunt. Horum conscientia saepe usque ad ultimum vitae momentum manet.

§. 1108. Crebro cholera Indica aliis componitur morbis sive acutis sive chronicis, ut sunt affectiones gastricae, verminosae, unde non raro cum dejectis materiis sunt vermes; febres continuae, intermittentes, praecipue si regnent epilepsia; hydrops; phthisis; etc. Crebro etiam convertitur in alios morbos vel acutos vel chronicos, qui dici debent secundarii, ut sunt febres nervosae; vesaniae, quae ob vitium jam susceptum in cerebro, ejusque membranis remediis reluctantur; inflammationes viscerum vel acutae vel lentae, quae a sanguinis congestionibus nascuntur. Saepe hujusmodi inflammationes a systematis sanguinei reactione excitantur, quae aut ab ipsis naturae viribus commovetur, aut a stimulantibus remediis, quae pro virium debilitate usurpantur. Ab hac enim reactione admodum sollicitatur circulatio sanguinis, et ideo magis illa viscera afficiuntur, quae jam in cholerae cursu magis patiebantur. Quapropter si major sanguinis fluxus fit ad pectus, pleuritides et peripneumoniae; si ad abdomen hepatitis, peritonitis, etc; si ad caput encephalitis

evolvitur; et hinc suppurationes, effusiones sanguineae, serosae, hydrocephalon, praecipue in infantibus, consequuntur. Hujusmodi secundarii morbi per proprios characteres revelantur.

§. 1109. Quamvis cholera Indica diversis compareat symptomatibus, ex quibus cognoscitur, modo unum, modo alterum organicum affici systema, tamen prima magisque constantia foenomena suadent, primitus ventriculum, intestina, et gangliare systema attentari. Ab horum autem foenomenorum examine caussa morbi proxima videtur esse illorum viscerum irritatio, et status morbosus systematis gangliaris, qui ad alia vitae organicae systemata, ut vitalia organa continuo propagatur. Et requidem vera prima symptomata primitus irritari ventriculum, intestina, praecipue eorum membranam mucosam declarant, ut nausea, cardialgia, ardoris sensus, ructus, borborygmi, copiosi vomitus et dejectiones materiarum serosarum et mucosarum; ut et alia symptomata, affici eodem tempore ostendunt centrum gangliaris systematis, et hujus affectionem con-

festim ad alia systemata propagari; hinc praesto sunt vertigines, dolores ad caput, cor, pulmones, diaphragma, etc. Ob consensum autem quem cutis habet cum ventriculo, corripitur spasmo, fit rugosa, vasorum capillarium subsistit actio, evadit sicca et frigida; uno verbo laeduntur, minuuntur, cohibentur ejus munera, ut et respirationis processus, et insimul thermogenesis. Per compressam exhalationem cutaneam augetur secretio serosi humoris in membrana mucosa gastro-enterica; et ob immodicam secretionem istam aliae secretiones arescunt, praesertim illa renum, unde non parum vitiatur sanguinis massa. A statu vero morboso nervorum splanchicorum maxime perturbantur viscerum abdominalium functiones. Et cum systema gangliare non amplius suam potestatem in sanguineum exerceat systema, sequuntur venosae congestiones sanguineae, et vacuae remanent arteriae, unde pulsus vacillantes, deficientes. Hujusmodi venosae congestiones contingunt in cerebro, pulmonibus, visceribus abdominis, quae viscera non raro inflammantur. Sanguis exuberat car-

bonio, et hinc lividus color, aut caeruleus per totum corpus, praecipue in extremitatibus. Et ob expositas sanguinis congestiones interdum suffocatio, aut apoplexia sequitur.

§. 1110. Caussa excitans est contagium, quod negant, qui choleram Indicam esse solum epidemicam contendunt. Transactis quidem temporibus hic morbus Indiarum endemicus, ab aëris temperie calido-humida, a palustribus miasmatibus, ab immodica fructus edendi licentia oriri putabatur, ut ab iis deducitur, quae Bontius edidit. Etiam dum cholera postremo iterum comparuit, ad eam epidemicam judicandam non desunt argumenta, praesertim ab effluviis gangeticis, irregularique atmospherica constitutione natam. Etenim anno 1817. fuit in Indiis tempestas frigida, nebulosa, pluviosa, dum solet esse calidissima, et hinc ingentes inundationes sequutae sunt: viceversa tempestas, quae solet esse pluviosa, fuit calidissima, et frigidis noctibus interrupta. Ex quibus vicissitudinibus non solum hominum valetudo, sed etiam stirpium et herbarum vegetatio, praesertim oryzae, maximum patiebatur

detrimentum. Sed quamvis haec fuerit prima cholerae origo, indubium est, quin inde potentissimum et pestilens contagium sit evolutum, ex quo citissime per dissitas regiones dilatatus morbus, ubique locorum eosdem servavit characteres, si nonnullae varietates excipiantur, quae ut diximus a climatum et locorum differentia nascuntur. Videtur itaque contigisse cholerae, quod pluribus aliis epidemicis morbis evenit, qui sub quibusdam circumstantibus rebus contagiosi evadunt; siquidem ab ignotis elementis morbosis effinguntur contagia, quae, ut exponit Sormani in suis problematibus pathologicis de natura et curatione cholerae, dici possunt secundaria, et a primariis distinguenda, ut sunt illa variolarum, morbillorum, etc. Sed quocunque modo se res habeat, aut primarium aut secundarium judicetur contagium, ejus existentia indubia est. Ut aliorum contagiorum ignoratur natura, et ejus etiam agendi modus, quamvis prima actio irritans videtur, quam extemplo sequitur maxima debilitas, praecipue nervei systematis. Anceps etiam manet existendi mo-

dus; nam alii hoc contagium volatile, alii fixum credunt, licet experientia demonstravit et ad fixa et ad volatilia pertinere contagia. Etenim inficit aërem, qui circumdat aegrotos, et variis corporibus fixum haeret, ut sunt vestes, lanae, paleae, etc. Cutis et pulmonum perspiratio maximam capacitatem possidet emittendi contagium. Cadavera cholera mortuorum maxime contagiosa sunt. Ut de aliis contagiis, sic de cholerico agitatur quaestio, an per cutem, per pulmonem, per organa digestionis absorbeatur. Sed experientia, et ratio confirmavit, per omnes hasce vias hauriri. Si enim cadaverum inspectiones, et morbi symptomata, primam hujus sedem esse ventriculum et intestina demonstrant, eodem tempore suadent, per organa digerentia, absorptionem contagii habere locum: sic observationes comprobant per cutem, et pulmones resorberi cholericum contagium; nam aërem ab hoc vitiatum respirando, et res infectas contrectando, facile propagatur morbus. Statui non potest quatenus cholerae contagium latere potest in corpore; quoniam saepe celerrime suos exerit exitiales effe-

ctus; interdum per aliquot dies conticescit. Ut autem effectus producat, necessaria est in corpore dispositio, quae cum major vel minor sit, modo promptius modo tardius morbus prodit, sive gravior sive mitior; quamvis id etiam a majore vel minore contagii potentia, ejusque specifica quantitate dependeat. Sed ubi omnino deest dispositio, evanidum est contagium, licet interdum illis, qui ejus actioni exponuntur, aliquem effectum inferat, ut vertigines, capitis pondus, oppressionis sensum circa praecordia, irregularem cordis motum, ventris tensionem, aliquem alvi fluxum, extremitatum crampos. Praevia hac dispositione a contagio enascitur cholera in hominibus cujusvis aetatis, sexus, conditionis. Est major autem vel minor dispositio secundum aetatem, sexum, corporis constitutionem, vivendi modum, praesentes aut transactos morbos, loca quae habitantur, vicissitudines aëris, et spirituales qualitates. Senes sunt juvenibus magis ad choleram dispositi; infantia virilitate; caeteris minus homines intra vigesimum et trigesimum quintum aetatis annum.

Quoad sexum, in nonnullis regionibus magis foeminae, in aliis magis homines corripiebantur cholera. Debiles autem, cachectici, convalescentes, bibaces, lascivi, vesani, edones, aut male enutriti, aut immaturis fructibus abutentes, qui hauriunt impuras aquas, habitant humilia, palustria, immunda loca, qui excalefacti refrigerationem patiuntur, dormiunt super terram, exponuntur subitaneis mutationibus aëris, qui fluxibus alvi, vomitibus, chronicis morbis organorum digerentium, aut morbosis nervosi systematis affectionibus laborant, pusillanimes maximam ad suscipiendum morbum opportunitatem habent. Non desistit, aut imminuitur haec dispositio a perpesso morbo, sicut quidam asserunt; nam experientia demonstravit, eosdem homines pluries a cholera fuisse correptos.

§. 1111. Cadavera exhibent in corporis superficie colorem lividum, et in extremitatibus superioribus et inferioribus, praesertim ad manus et pedes caeruleum, nigricantem. Idem est caeruleus color ad apicem nasi, labia, ungues, qui supra digitos re-

torquentur. Effusae maculae, ecchymomatum adinstar per totum corpus, praecipue ad crura, et abdomen apparent. Halo caeruleus semiapertos et excavatos oculos circumdat. Cutis est aspera, rugosa, maxime ad manuum et pedum digitos. Interdum musculi sunt flaccidi et molles, et tum cadaver flexile est, contra dum rigidi sunt et contracti. Narratur, quandoque post mortem per aliquot horas talem manere irritabilitatis Hallerianae gradum, ut cadavera absque applicatione artificialium stimulorum motus edant, illis similes, qui ab ictibus electricis concitantur. Plura autem observata sunt in visceribus, ut vasa membranarum cerebri, et sinus, et generatim omnia vasa atro sanguine plena; in substantia cerebri, modo duriori, modo molliori, puncta atro-rubra; in ejus ventriculis serosus et sanguineus humor; quidam turgor in vasis membranarum spinalis medullae, quae interdum ut in statu naturali adinvenitur, interdum in ejus substantia puncta atri coloris; pulmones modo tumidi et flaccidi, modo imminuti, modo per ipsos effusus sanguis, dum exterius

sani videbantur; cor flaccidum, et saepe quoad volumen auctum, et in suis dexteris cavitatibus multus sanguis densus et niger, sinistrae vero cavitates vacuae; et in cavitatibus cordis et in majoribus vasis coagulationes polyposae sanguinis; pars carnea diaphragmatis coloris atro-rubri; vasa ventriculi et intestinorum admodum sanguine turgida; substantia ventriculi saepe duritie induta; ejus cavitas quandoque vacua, sed ut plurimum humorem serosum lactis sero similem includit, et subinde contentus humor est subviridis et niger, subinde sanguinei coloris; in intestinis etiam humor albidus, opacus, viscosus cum floccis mucosis, et multus aër, et vermes, et putridae materiae nunc solutae, nunc densae et piceae; in membrana mucosa gastroenterica praeter vasa sanguine repleta, inflammationis vestigia, praesertim versus pylorum, per intestina tenuia, saepe maculae nigrae, exulcerationes, asperitates durae subalbidae ut miliaria, et saepe mucus albidus aut subniger, raro lympha coagulabilis membranam ipsam obtegens; intestina tenuia interius et exterius colorem sub-

rubrum referunt ; intestina crassa secundum statum naturalem ; interdum per totum intestinalem tubum puncta livida, et subrubra, interdum vehementissimae inflammationis signa; plexus solaris colore rubro ; hepar denso et nigro sanguine infarctum, modo maculis rubris obsitum, modo obscurum colorem, modo inflammationis vestigia, modo nihil praeternaturalis offert; cystis fellea nunc vacua, nunc bile spissa, viscosa, coloris atroviridis, aut liquescente referta ; lien multum venosum sanguinem continet ; renes imminuti, flaccidi ; etiam vesica urinaria admodum imminuta, contracta, et lotio carens ; saepe in visceribus duritiae, suppurationes, pseudo-membranae, illarum inflammationum sequelae, quae secundariae contingunt in cholera.

§. 1112. Quam exitiosa et pestilens sit cholera Indica notum est ; sed quia non semper morte, aut secundariis morbis curatu difficillimis terminatur, ad praesagitionem faciendam omnes res circumstantes, aegrotantium conditiones, morbi gravitas, complicationes, formae, foenomena, signa criseos,

et secundarii morbi spectentur. Si prodeat morbus prodromis symptomatibus et curatio sit prompta et recte instituta, spes adest sanationis; sed saepe evenit, quod artis vocatur auxilium, cum jam morbus progressus sit, remediisque superior redditus. Tamen artis ope devictus fuit, cum convulsiones et crampi adoriebantur. Insuperabilis vero est, cum ad acmen pervenerit, licet non desint sanationis exempla. Senes, debiles, cachectici, lascivi, intemperantes, pusillanimes, animi pathematibus, et chronicis morbis intestinorum, hepatis obnoxii plerumque pereunt; contra sobrii, nec animi affectionibus, nec studiis, nec laboribus exhausti facilius sanantur. Pueri frequentius perimuntur, quam homines, qui virilem aetatem attingunt. Circa foetas mulieres oppositae extant observationes; nam alii asserunt, eas rarius corripi morbo, et ubi forte corripiantur, mitiorem illum esse et ab eo aegras promptius recolligi, sed contingere abortum, si sollicita non fuerit curatio; alii autem contrarium affirmant. Lenhossek in suis animadv. circa curandam chol. orient. et alios epidem. mor-

bos, inquit = Nec foeminae gravidae ab eo malo immunes sunt, quinimo, ut facile intelligitur, rapidum in iis sumit, periculi plenum decursum. Funestissima autem est cholera orientalis, quae puerperas invadit. = Cum cholera Indica redeat, maximum affert periculum, si inter utramque invasionem breve temporis spatium intercesserit; contra si longum, secunda aggressio mitior est, et expeditius sanabilis. Morbi gravitas distinguitur a symptomatis, quae si ab ipso initio lethalia sint, ut rapida virium dejectio, copiosi et frequentes vomitus et dejectiones, sitis inextinguibilis, assidui et violenti spasmi, aeger ut cadaver frigidus, post paucas horas sequitur mors. Ubi vero symptomata adeo immania non sint, non raro per naturae vim, aut artis, gradatim imminuuntur, et signa salutaris criseos comparent. Tum pulsus fiunt elatiores, redit calor, dissipatur chyanosis, vomitus et spasmi extenuantur; hinc cutis fit mollior, aequalis erumpit et calidus sudor, egeritur bilis, secernitur et expellitur urina, supervenit somnus reficiens, et convalescentia incipit.

Haec interdum est sollicita, et absoluta sequitur sanatio; sed saepe remanent morbosa foenomena, ut nimia epigastrii sensibilitas, difficultas digerendi alimenta, ad vomitum et diarrhoeam propensio. Sed persaepe diaetetico regimine, et etiam remediorum usu mature sanantur; interdum vero diu persistunt praecipue in debilibus, in quibus non raro remanet diarrhoea, quae etiam esse potest exitiabilis. Si morbus fuerit nimis violentus, et in debilibus et cachecticis contigerit, ad perfectam valetudinem redire, arduum est. Animadvertendum est, quod imminutio symptomatum non semper tuta est, utpote fugax; oportet igitur, ut sit constans, et sequatur salutaris et perfecta crisis. Funestissima est cholera, si cum aliis complicetur morbis, vel acutis, vel chronicis, ut sunt febres varii generis, epilepsia, mania etc. Quoad autem praecipuas morbi formas, si cholera sit inflammatoria, periculosissima est, et saepe inflammationes viscerum, ut cerebri, pulmonum, hepatis, transeunt in gangraenam; si nervosa, fere omnino lethalis. Morbi secundarii praecipue

evolvuntur, dum vasa sanguinea commoventur; nam afficiuntur viscera, in primis quae in morbi decursu aut statim, aut per consensum, aut symptomatum vehementiam, aut remediorum actionem admodum patiebantur. Ex hoc vasorum motu, et affluentia sanguinis ad viscera, crebro inflammationes exoriuntur. Cutis etiam exanthematicis morbis affligitur, ut erysipelate, urticaria, eruptione miliari illi simili, quae interdum in intestinis cadaverum observatur. Sic per efformatum vitium in cerebro, per maximam nervorum, aliorumque systematum infirmitatem, et per summam humorum depravationem alia secundaria mala consequuntur, ut vesaniae; paralyses universales vel partiales ut vesicae urinariae; febres nervosae, putrido-nervosae; hydropes. Ut plurimum secundarii morbi gravissimi sunt et insanabiles; interdum sanabiles, et etiam utiles, ut inflammatio parotidum, et prominentiae miliformes, quae sicut asserit Professor Martini, ut signa boni ominis habendae sunt.

§. 1113. Innumera fuerunt in choleram Indicam adhibita remedia, curandique ra-

tiones, et quidem inter se oppositae. Etenim dum alii arbitrabantur, esse morbum extremae debilitatis et non aliud usurpabant, nisi stimulantia fortiora; alii venae sectiones indiscriminatim celebrarunt, etiam dum pulsus erat filiformis, et imperceptus, cutis frigida et livida; alii non praecipiebant, nisi hirudinum applicationem, etiam ubi viscera inflammatione afficiebantur, cum generales sanguinis missiones primum habere debent locum; alii ad magnas doses calomelanum, et opium praescripserunt, dum ab illo major diarrhoea, ab hoc major congestio sanguinis ad cerebrum inducitur; alii summopere magisterium bismuthi laudarunt, quod aut nullam utilitatem, aut damnum attulit, si ad mentem Leo exhibeatur, nempe ad tres vel quatuor grana omni bihorio, siquidem ab hac dosi irritatio, et inflammatio membranae mucosae ventriculi facile producitur; alii pro potu aquam frigidam porrigebant, quae sub defectu virium, animalisque caloris certe nocet; alii drasticis purgantibus usi sunt, quae supra modum augent alvi fluxum, et citissime vires delent;

alii, qui judicarunt, choleram Indicam esse febrem intermittentem perniciosam, corticem peruvianum, et sulphatem chininae administrarunt, et hinc pleraque succubuit aegrotantium pars; alii plura et inordinate et inter se pugnantia suppeditarunt, et fecerunt, ut copiosas sanguinis missiones, applicationem hirudinum, calomelanum, opium, laudanum liquidum ad magnas doses, oleum menthae piperitae, aquam melissae, et purgantia; alii invenire specificum tentarunt; tandem agyrtae, nebulones, et medici nullius famae arcana, ceu universalem et certam medicinam, impudentissime venundarunt. Observandum vero est, quod si emolumentum aliquod colligebatur sub administratione expositorum medicaminum, illud non ab hisce, sed ab aliis aptioribus remediis eodem tempore adhibitis, et etiam ab externa curatione ad resolvendum cutis spasmum, excitandumque extinctum calorem instituta, profectum puto. Asserit Doctor Berres, magnam utilitatem obtinuisse ab aquae frigidae potionibus; sed una simul prudenter adhibuit opium ad parvas doses, mixturas antispasmodicas,

balnea aquae calidae simplicis aut cum potassa, evaporationes ex aqua et aceto, frictiones, appplicationes laterum excalefactorum, vesicantium, sinapismorum, nec omisit sanguinis missionem, cum magis conveniret. Sic qui praebebant magisterium bismuthi, conjunctim adhibebant frictiones, aliaque revellentia, potiones calidas leviter aromaticas, et etiam venae sectionem. Praeterea monendum est, quod quaedam ex laudatis remediis esse possunt utilia, si indiscriminatim non offerantur, et ad doses convenientes praescribantur. Calomelanus potest ad exiguam quantitatem prodesse, sed non tam pro ipsa cholera, quam pro secundariis morbis.

§. 1114. Satis experientiá demonstravit, tutiora et efficaciora remedia esse copiosas, calidas, leviterque aromaticas potiones; opium ad paucas doses; frictiones; calorem artificialem ad superficiem corporis; vesicantia et sinapismata in variis corporis partibus apposita. In regno Hungariae multi recuperarunt salutem solis aqueis et abundantibus potionibus, calefactione corporis, et urtica-

tione. Ergo in curatione pestilentis morbi etiam aurea praestat simplicitas, quam in gravioribus morbis tam praedicavit Sydenham. Hoc vero asserere nolumus, ut omittantur remedia, sed solum ubi expedit, vocentur in usum. Ut varii distinguantur casus, in primis observanda est morbi forma, praecipua symptomata, exitus. Hac regula in eligendis aptioribus remediis nulla supererit ambiguitas. Si consideretur, quod cholera Indica rapide et potenter afficit nervos, arteriarumque delet actionem, venae sectio opportuna non videtur; tamen utilis esse potest, si fiat in initio morbi, dummodo aegri sint juvenes, robusti, plethorici, et cum iterum commovetur sanguinis circulatio, reditque calor ad cutem, compareant signa phlogoseos in aliquo viscere, praesertim cerebro, et pulmonibus. Ob easdem rationes possunt hirudines variis locis admotae utilitatem afferre. Sic leves purgationes aut inter initia morbi, cum adsunt gastricae sordes, aut in ejus fine, ut residuae expellantur impuritates, expediunt. Si vero sordeat ventriculus, in ipso morbi exor-

dio, praeferantur emetica, dummodo nil sit, quod hisce opponatur, ut sanguinis vomitus, internae phlogoses, herniae, et jam progressa graviditas. Remedia, quae in variis casibus adhiberi solent, alia interna alia externa sunt. Spectant ad prima potiones calidae simplicis aquae, aut acidulae; jura insulsa pulli, aut vitulinae carnis; decoctiones mucilaginosae; infusiones florum chamomillae, sambuci, aut illae salviae, menthae, melissae; mixturae antispasmodicae; doses exiguae opii, et laudani liquidi: ad altera frictiones aut cum pannis laneis simplicibus, aut substantiis irritantibus madidis; lotiones ex aceto nimis calido; balnea aquae calidae; evaporationes ex aqua aut aceto; applicationes ad pedes laterum excalefactorum; vesicantia, sinapismata; et interdum ferrum candens pedibus admotum. Sed ut haec et alia recte usurpentur, exposita regula tenenda est. Cholera Indica non semper corripit instar fulminis, sed manifestatur prodromis, ut siti, sensu molesto praecordiorum, ad vomitum propensione, etc. Tum sollicite aptis remediis se-

dari possunt haec symptomata, et morbus in ipso initio abrumpi. Igitur ut cito sedetur et resolvatur nervorum affectio, calidae et aromaticae potiones; calidi, sicci, et aromatici fotus; mixturae leviter antispasmodicae, pulvis Doweri; et matura regioni epigastricae vesicantis vel sinapismi applicatio. Inquit Lenhossek op. cit. §. 14. = Nihil autem morbosam plexus gastrici adfectionem cum reliquis per consensum provocatis symptomatibus, tollit citius, quam sinapismus, aut vesicans epigastrio impositum. = Symptomata autem, quibus morbus incipit, varia sunt; sed ut plurimum passionem ventriculi ostendunt, ut nausea, vomitus, cardialgia, etc. Si signa adsint ventriculi saburrarum, conferunt levia emetica, ut exiguae ipecacuanhae doses; sed si haec signa desint, et vomitus assiduus sit et ingens, refraenandus potione antiemetica Riverii, parca dosi laudani liquidi, fotibus aromaticis. Si torqueat vehemens cardialgia, et contingat in hominibus plethoricis, et juvenibus, hirudines epigastrio applicitae utiles sunt. Saepe etiam comparent symptoma-

ta, quae affectionem intestinorum patefaciunt, et quae comprimere necesse est. Si dolores abdominis sint graves et assidui, et aegri temperies plethorica, apponantur hirudines, et emollientia adhibeantur, ut decoctiones radicis althaeae, salep, solutio gummi arabici, cataplasmata et fotus emollientes, et etiam clysteres mucilaginosi. Si excruciet tenesmus, vapores aqnae calidae simplicis, vel decoctionis malvae dirigantur ad anum. Si diarrhoea continua sit et effraena, et nulla suspicio phlogoseos, remediis compescatur, quae cutaneam perspirationem promovent, et tonicam et adstringentem habent virtutem, ut sunt potiones calidae et leviter diaphoreticae; parcae doses opii et ipecacuanhae; extractum radicis columbi, rathaniae; clysteres ex decoctione chamomillae cum aliquot guttis laudani liquidi, aut ex decoctione hordei cum amylo et ovi vitello; et cum calido laudano liquido frictiones super abdomen. Dum vero progreditur morbus, et intra paucas horas exitialium symptomatum ferocit caterva, nimirum ingenti afficitur spasmo cutaneum systema, cujus functio-

nes perturbantur, ut et respirationis processus; aeger evadit frigidus; et ob cohibitam externam perspirationem adaugetur diarrhoea; sanguis seroso humore orbatus, et spissior factus, non libere circumfluit, et hinc aliae laeduntur functiones; accedunt spasmi, et contractiones spasmodicae extremitatum inferiorum, quae ad superiores extenduntur, et non raro convulsiones et tetanus; omnino fatiscunt vires, et secretiones arescunt, praesertim urinae; sanguis non amplius per cutaneum systema circumductus, ad interiores partes capitis, pectoris, abdominis cogitur, unde imminens vitae periculum; eligantur, quae cutis spasmum resolvunt, et compressam perspirationem, respirationem, et calorem corporis extinctum vivificant, ut copiosae et calidae potiones; mixturae antispasmodicae; camphora; castoreum, aether sulphuricus, aliaque similia. Remedia vero externa, maxime externus calor, sunt magis utilia; sed internis conjunguntur. Æger in calido lecto decumbens, ubique tegendus est, excepto capite, fiant frictiones super gelida membra, aut cum simplicibus pannis laneis

excalefactis, aut substantiis spirituosis madidis; ponantur ad pedes amphorae aqua fervida plenae, vel calefacti lateres, vel sacci arena aut calidis cineribus referti, extremitates, pectus, abdomen pannis calentibus involvuntur. Hoc modo non raro redit calor, cutis fit mollis et humida, et interdum erumpit sudor, qui est abstergendus; et iterum pannis calidis corpus implicandum; diligenter servanda quies, si ad somnum aeger inclinet. Sed quia saepe evenit, quod rursus frigus obsideat membra, sollicite repetantur frictiones. Praeterea ad vehementiores cutis spasmos, aliarumque partium sedandos, maxime conducunt balnea aquae simplicis calidae, vel cum aceto; aut evaporationes, quae iterum iterumque fiunt, donec redeat calor, et incipiat sudor. Cum autem aegri corpus rigidum fit, ut in tetano, balneum calidum alcalinum utile repertum fuit. In trismo, et dum impossibilis est deglutitio, vapores camphorati ad os et nares immissi juvarunt. In deficiente vitalitate cutanei systematis, plures et variae stimulantes frictiones utiliter instituebantur, ut ex spiritu vini cam-

phorato; aut ex spiritu terebinthinae; aut ex tinctura cantharidum; aut ex alcohole, aceto, camphora, farina seminum sinapis, allio, cantharidibus; aut ex tinctura capsici annui; etc. Insuper variis corporis partibus apponi solent sinapismi et vesicantia, donec redeat vitalis turgor. In spasmos etiam et dolores extremitatum commodae fuerunt unctiones oleosae, linimentum volatile cum camphora, laudanum. Quoniam tam frequenter congestiones sanguinis contingunt, praesertim ad caput et ad pectus, dum vivificandus est calor, a levioribus gradibus externi caloris incipiendum est; nec id plus fiat, quam exposcat necessitas, ne istis congestionibus detur occasio. Et ubi signa alicujus congestionis in cerebro exoriantur, admotio hirudinum, et frigidae super caput, salutaris reperta est.

§. 1115. Si cholera Indica oriatur sub inflammatoria forma, et etiam compareant signa inflammationum viscerum, ut cerebri, pulmonum, ventriculi, intestinorum, hepatis, expediunt generales et locales sanguinis missiones, emollientes fotus, potiones ex de-

coctione hordei, radicis althaeae, salep. Subacta phlogosi, curandus est vomitus, diarrhoea, spasmi, aliaque symptomata, exposita methodo. Ad promovendam transpirationem cutaneam, et sanguinem ad externas partes vocandum, fiant frictiones calentibus pannis, fotus emollientes ad extremitates, et sinapismi et vesicantia applicentur. Si autem morbi forma sit nervosa, quae ab ingenti nervorum affectione, et crudelioribus spasmis cordis, pulmonum, diaphragmatis cognoscitur, praestantiora remedia sunt antispasmodica, ut castoreum, laudanum liquidum, spiritus cornu cervi succinatus, flores zinci, sinapismi, vesicantia. Dum cholera cum aliis morbis complicatur, secundum varias complicationes curatio differt. Sic diverso modo, praeceptisque generalibus curantur secundarii morbi. Etiam convalescentium curatio pro diversis casibus dissimilis est. Alii enim convalescentes cito perfectam recuperant salutem, praecipue qui vehementissimam choleram passi non sunt; et morbus perfecta crisi dissolutus: alii autem tolerant incommoda, quae interdum sponte

evanescunt, interdum plus vel minus persistunt, et egent artis ope, ut virium debilitas, praesertim ventriculi, unde alimenta non concoquuntur; hinc conveniunt tonica, amara, praecipue cortex peruvianus, et modicus vini usus: diarrhoea, quae in debilibus esse potest funesta; et tum tonica et adstringentia juvant; interdum alvi durities; et in hanc simplices clysteres, et exiguae rhabarbari doses sunt adhibendae: affectiones spasmodicae; et hisce opponuntur antispasmodica, et corticis potissimum peruviani decoctiones. Praeterea convalescentes sollicite ab aegrotantibus separentur; conveniens observent diaetae regimen; omnes evitent morbosas caussas, in primis aëris vicissitudines, et actionem frigoris; et in aërem salubriorem se transferant.

GENUS QUARTUM

Diarrhoea

§. 1116. Diarrhoea est alvi dejectio frequentior, solutior, copiosior. Generatim Διάῤῥοια fluentum, sed apud Nosologos morbum definitum audit. Proprie igitur non pertinet ad diarrhoeam alvi incontinentia non frequens, qua involuntario egeruntur excrementa, pueris dormientibus, aut etiam vigilantibus familiaris, a Sauvages acrasia dicta; siquidem ἀκρασία apud Hippocratem incontinentiam, licet etiam debilitatem et impotentiam alicujus partis significat, et vocabulo ἀκράτια consonat. Diarrhoea habet diversam originem, et cursum; varios producit effectus; et materiae quae dejiciuntur valde differunt: hinc plures statuuntur species, et varia nomina iis impertiuntur. In primis diarrhoea dividitur in primariam, symptomaticam, secundariam, criticam. Primaria nascitur a caussis praecipue

in tubum alimentorum agentibus: symptomatica ab aliis morbis, ut et secundaria; critica, quae alios resolvit morbos. Primaria autem aut est epidemica, aut endemica, aut sporadica. Si diarrhoeae cursus est brevis, illa dicitur acuta; si lentus chronica; si periodicus, periodica. Saepe contingit diarrhoea symptomatica, quae ab humorum colliquatione nata, dicitur colliquativa. A dejectis autem materiis vocatur stercorea, biliosa, serosa, mucosa, verminosa; aut lienteria, si materiae sint alimenta non bene concocta; aut coeliacus fluxus, si materiae sint chylosae; aut fluxus hepaticus, si dilutus dejiciatur sanguis, loturae carnium similis. Denique quoniam diarrhoea vel a morbosa intestinorum affectione, vel ab illa universi systematis exoritur, vel ut localis, vel ut universalis morbus habetur, ab hypersthenica aut hyposthenica diathesi dependens.

§. 1117. Diarrhoea symptomata alia generalia, alia specialia sunt. Ad prima spectant spontanea lassitudo, nausea, inappetentia, quaedam ventriculi oppressio, ven-

tris tensio, ructus, dolores abdominis recurrentes, borborygmi, pulsus interdum intermittens, qui saepius diarrhoeam criticam promittit, observante Solano, internus molestus stimulus, qui dejectiones sollicitat. Paullo post dejectiones redeunt dolores abdominis, borborygmi, molestus stimulus, et hinc iterum egerendi necessitas. Dejectae materiae sunt plus vel minus abundantes et liquidae; aut biliosae, aut serosae, aut mucosae; concoctae, aut inconcoctae; inodorae, aut foetidiores, quod saepius evenit. Raro in diarrhoea torquet tenesmus; sed interdum post repetitas egestiones supervenit, et etiam exit exigua sanguinis quantitas, qui purus est, ideoque a sanie dysenterica distinguendus. Saepe post varias dejectiones symptomata leviora fiunt, et gradatim dejectiones ipsae imminuuntur, et faeces consuetum colorem, formam, et consistentiam adipiscuntur. Quandoque vero diarrhoea persistit, et diuturna fit; hinc gravia insurgunt symptomata, et interdum per magnam humorum, et virium vitalium jacturam lethalia. Etenim cutis fit arida, parum

secernuntur urinae, facies pallescit, oculi languent, extenuatur corpus, intumescunt pedes, crescit debilitas in dies, accedunt lipothymiae, lenta febris, interdum hydrops, decidunt capilli, extrema est corporis macies, et tandem sequitur mors. Quamvis generalia diarrhoeae symptomata ratione caussarum, aegrotantium temperamenti, et morbi gravitatis variant, tamen exposita communiora sunt. Veniamus ad specialia.

§. 1118. Diarrhoea stercorosa a crapula et indigestionibus orta distinguitur nausea, proclivitate ad vomitum, cibi fastidio, ructibus nidorosis, tensione abdominis, doloribus errabundis et recurrentibus, flatibus male olentibus ab ano, faecibus copiosis, liquidis, corruptis, foetidis. Diarrhoea biliosa stipatur nausea, oris amaritie et siccitate, anorexia, torminibus, dejectionibus biliosis, flavediue linguae, foetenti halitu. Saepe in hac specie gravis vexat capitis dolor, et facies et oculi luteo colore inficiuntur. Diarrhoea serosa praesertim noscitur ab effusis serosis dejectionibus. Interdum tam acres sunt materiae, ut circa

anum molestum excitent ardorem, et etiam internam membranam intestinorum erodant. Saepe materiae istae sunt turbidae, et interdum sanguine tinctae. Ut plurimum ante dejectiones torquent acuta tormina, et flatus molestant; cutis siccescit, praeparcae sunt urinae, tenditur abdomen, urget sitis, maxime enervantur vires. Quandoque haec species minus gravis est. Diarrhoea mucosa constituitur a dejectionibus mucosis, modo parum, modo maxime foetidis, ejusque symptomata sunt dolores, flatus, ventris tumor. Haec species nunc acuta est, nunc chronica; nunc est localis affectio, nunc ab universalis systematis affectione nascitur. Diarrhoea verminosa, in pueris frequentior, distinguitur a signis vermium, et a praevia pituitae excretione, a frequentibus dejectionibus cum vermibus aut vivis aut mortuis, a faecibus cineraceis, et a morsibus, quibus lacerantur intestina. Illa a Nosologis inter diarrhoeae species recensetur, quae dicitur ab hypercatharsi, ab assumptis venenis, aut fortioribus catharticis producta. Hujus signa sunt saevi dolores

ventriculi et intestinorum, vomitus aut ad vomitum conamina, internus aestus, sitis ingens, dejectiones abundantes, frequentes, variae, saepe cruentae, et tenesmo conjunctae. Recensetur etiam illa a dentitione, quae potius ut symptomatica habenda est. Adsunt signa dentitionis, ut tumor, calor, ardor gingivarum, viror faecum, etc.

§. 1119. Lienteria est diarrhoeae species, qua celeriter, et sine dolore egeruntur alimenta, quae vix aliquem coctionis gradum subiverunt. Lienteria est graeca vox laevitatem significans; quasi morbus a laevitate intestinorum oriatur. Inquit Hippocr. de affection. xxv. = Λειεντερίη, τὰ σιτια διαχωρέει ἄσηπτα (καὶ) ὑγρά. ὀδύνη δὲ ὐκ ἔνι, λεπτυνέται δὲ καὶ το σῶμα. Lienteria. Cibi secedunt incocti, liquidi: dolor autem non adest; et corpus extenuatur. = Plura sunt hujusce morbi symptomata. Hunc saepe praecedit, aut comitatur cynorexia; interdum anorexia. Post assumptum cibum molestant ventriculi pondus, sitis, ructus acidi, praecordia tensa et tur-

gida, reditus alimentorum in guttur, oris sapor a consueto alienus. Dum antem perseverat et crescit morbus, ob nutritionis defectum deficiunt vires, vitiantur humores, et graviora superveniunt foenomena. Sitis fit ardens: aphthae invadunt fauces, ventriculum, intestina; aegri noctes insomnes peragunt, urinam parcam et ardentem reddunt, nausea et cibi fastidio laborant; saepe movetur salivatio; supervenit lenta febris cum extrema corporis consumptione, sudoribus profusis viscosis, tumore manuum et pedum; delabuntur capilli. Inter morbi initia materiae dejectionum inodorae sunt; postea fiunt corruptae et tetrum odorem exhalant. Praeter marasmum saepe hydrops, dysenteria, exulcerationes intestinorum, et gangraena pervicacem lienteriam consequuntur.

§. 1120. Coeliaca passio, κοιλιακή, aut κοιλιακὸν πάθος, est diarrhoeae species, in qua materiae dejectionum chylosae sunt. Hinc qui hoc fluxu afficiuntur, dicuntur coeliaci, κοιλιακοί. Ut plurimum lente incipit morbus; per aliquod tempus saepe desistit, deinde redit; tandem ad interitum

ducit, si diu pergat. Symptomata sunt ponderis et caloris sensus in ventriculo, ventris inflatio, nausea, appetitus defectus, interdum voracitas, acidi ructus, praecordiorum anxietas, flatus qui emittuntur ab ano, et hinc uberes dejectiones materiarum chylosarum, quae maximam virium debilitatem afferunt. Saepe hae dejectiones sistunt per aliquot dies, sed mox revertuntur, maxime post assumpta alimenta. Frequenter tormina, borborygmi, ventris tensio dejectiones praecedunt, hasque tenesmus, convulsiones, animi deliquia, sudores frigidi comitantur. Cum morbus diu perstiterit, maxima sequitur virium dejectio, febris lenta, consumptio, hydrops, mors.

§. 1121. Fluxus hepaticus secundum veteres est quaevis diarrhoea ab hepatis vitio orsa; sed secundum recentiores est alvi fluxus in diluto sanguine, loturae carnium simili consistens, quicunque sit locus unde ipse manet. Hunc fluxum vocat Sauvages hepatirrhoeam veram. Quamvis vero dejectus sanguis a variis proficisci possit locis, tamen ut plurimum extat aliquod vitium in hepate. Hinc Ali-

bert in duas species dividit fluxum hepaticum, nempe in idiopathicum, et traumaticum, et inquit, primum conjungi semper hepatis, aut hujusce functionum alterationi; alterum a vulneribus, ulceribus, abscessibus substantiae hepatis nasci. Traumaticus vero, quem Sauvages appellat hepatirrhoeam a vulnere, proprie venit a vulneribus; sanguis profluens est rutilus; adsunt etiam cruenti vomitus, etsi vulnus non ventriculum, sed hepatis substantiam tantum attigerit. Ulcera, abscessus aut alia substantiae hepatis affectio illi fluxui ansam praebet, in quo non solum dejicitur dilutus sanguis, sed etiam materiae serosae, biliosae, purulentae. Ut plurimum in fluxu hepatico primario contingunt dejectiones sine torminibus; adsunt sitis, inappetentia, debilitas, somnus inquietus, facies pallida, tumida, dolor ad dextrum hypochondrium, tumor extremitatum inferiorum, et palpebrarum. Si in longum procedat morbus, exhauriuntur vires, suscitatur febris, et persaepe hydrope terminatur.

§. 1122. Caussa proxima diarrhoeae est peristalticus motus intestinorum adauctus. Re-

motae caussae aut in totum systema, aut in ipsa intestina, aut in partes, quae cum intestinis habent sympatheiam, operantur. Senes, pueri, debiles, regionum humilium, humidarum et calidarum habitatores magis ad diarrhoeam inclinant; minus juvenes et robusti. In debilibus caussa etsi levis ad promovendam diarrhoeam satis est, ut cibus vegetabilis, fructus aliquis, quantitas cibi paullo copiosior. Caussae, quae diarrhoeam excitant, plurimae quidem sunt, ut crapula, prava alimenta et potiones, abusus fructuum; aëris vicissitudines, nimium frigus, humiditas, calor; animi pathemata, ut timor, terror, ira; insensibilis perspiratio repressa; depravati humores, ut gastricus, entericus, pancreaticus, bilis; purgantia drastica; venena; vermes; difficilis dentitio; fluxus menstruorum, et haemorrhoidum cohibitus; etc. Diarrhoea stercorosa producitur a crapula, et a nimiis alimentis non bene concoctis. Voraces, edentuli, qui non satis mandunt alimenta, ad hanc speciem magis propensi sunt. Diarrhoea biliosa nascitur a nimia bile, ejusque acri qualitate; et huic sunt parati ira-

cundi, bilioso temperamento praediti, et qui aliqua hepatis morbosa affectione laborant. Diarrhoea serosa gignitur ab aëris vicissitudinibus, ab actione frigoris, praecipue in excalefactum corpus; et hinc autumno frequens est. Diarrhoea mucosa oritur ab irritatione membranae mucosae intestinorum; et huic dispositi sunt phlegmatici, et affectionibus catarrhalibus obnoxii.

§. 1123. Circa proximam lienteriae caussam, non in eadem sunt auctores opinione. Alii enim eam ponunt in ingenti ventriculi et duodeni atonia; alii in languore virium digerentium; alii in nimia laxitate pylori; alii in aucta ventriculi et intestinorum irritabilitate; alii in laevitate intestinorum, per quam sine obstaculo per eorum laevem superficiem alimenta gliscunt; alii in acrimonia bilis. Hujusmodi vero caussae, ut plurimum ad excitantes pertinent; dum caussa proxima in motu peristaltico intestinorum praeternaturaliter aucto consistere videtur. Homines debiles, et senes frequentius in hunc morbum incidunt. Inter excitantes caussas recenseri debent continuus pra-

vorum alimentorum usus, unde universum systema, maxime digestionis organa debilitantur; animi deprimentia pathemata; vermes, qui digestionem perturbant, motumque peristalticum accelerant.

§. 1124. Proxima coeliacae passionis caussa est praepedita absorptio chyli, aut ejus praepeditus transitus per lactea vasa. Caussae excitantes sunt obstructio osculorum vasorum lacteorum, aut illorum inertia; vel glandularum meseraicarum obstructio, ut cadaverum inspectiones confirmant. Sed etiam de hujus morbi caussa variae extant opiniones. P. Franch fluxum coeliacum a morbosa et specifica intestinorum secretione proficisci arbitratur; et inquit, ut in diabete secernunt renes materiem saccharinam, sic intestina morbosa secretione praeparant materiem coeliaci fluxus, quam a stomacho non recipiunt, sed a massa humorum extrahunt. Sprengel hunc fluxum morbosa muci secretione contineri contendit, ideoque caussam proximam esse auctam aut mutatam glandularum intestinorum actionem, unde excretio muci aut est nimis abundans, aut morbosa

evadit. Alii etiam impugnant, dejectam materiem esse chylosam; nam fieri non potest, quod tanta chyli quantitas efformetur in corporibus debilibus, quae etiam parum enutriuntur. Ast quorsum hujusmodi hypotheses? Non solum enim dejecta materies chylosa apparet, sed observatione cadaverum aut absorptioni, aut transitui chyli saepe evidentia inveniuntur obstacula. Illa autem nimia quantitas materiae chylosae, quae in corporibus debilibus et parum altis efformari non posse videtur, et quae praecipuam opinioni nostrae sistit objectionem, facile exponitur, si animadvertatur, quod in hoc morbo etiam glandulae intestinorum afficiuntur, quae ingentem muci copiam secernunt, qui immiscetur chylo; et hinc materias egestas esse muco-chylosas asserimus.

§. 1125. Fluxus hepaticus juxta veteres non aliam habet caussam, quam aliquod hepatis vitium; unde sanguis ab illius vasis per ductum choledochum fertur ad intestina. Recentiores vero opinantur, sanguinem non solum ex vasis hepatis, sed etiam ab illis intestinorum, pancreatis, mesenterii manare.

Ast cadaverum autopsiae, et absoluta foenomenorum indago veterum potius opinionem confirmant. In variis enim hepatis vitiis ut plurimum profluit liquor cruentus, loturae carnium similis; sed nunquam sanguis est tam dilutus, si ab intestinorum vel mesenterii vasis proveniat. In nosocomio S. Spiritus pistorem curavimus quadraginta annorum, in fluxum hepaticum delapsum, cujus cadaver secare fuit vetitum. Sed morbi foenomena morbosam hepatis affectionem luculentissime demonstrabant. Spectabilis enim aderat dextri hypochondrii tumor; respiratio difficilis; anxietas; inappetentia; flatus; maxima virium dejectio; febris vespertina; faciei et extremitatum inferiorum tumor. Postquam morbus per aliquem mensem perduraverit, sequuta tandem est mors. Huic morbo propendent qui infirmum et laxum habent hepar; et huic assidui labores, violentiora corporis exercitia, vini et spirituum abusus, alimenta et substantiae acres et stimulantes occasionem praebent.

§. 1126. Ut de hisce fluxibus praesagiamus, an sint primarii, symptomatici, secun-

darii, critici; quae eorum species, caussae, symptomata; virium status; morbi diuturnitas, dejectarum materiarum qualitas et color rimari debemus. Itaque si diarrhoea sit primaria et stercorosa, per aliquot dies persistit, et juvat. Postea enim redit appetitus, omnesque functiones ad naturalem statum restituuntur; quamvis in debilibus et aetate provectis prosternat vires, et gravia mala adducere possit. Ut plurimum vero per hanc diarrhoeam expelluntur materiae faecosae, corruptae, vermes; et ideo eliminantur qualia oportet, ut inquit Hippocr. aphor. sect. 1. 2. = In perturbationibus alvi, et vomitibus spontaneis, si qualia oportet purgentur, confert, et facile ferunt, sin minus contra. = Diarrhoea biliosa aut levis est et quoad symptomata, et quoad caussas; aut periculosa, quia gravibus stipatur symptomatibus, et ipsa febre, atque ab irritatione hepatis, et a prava bilis qualitate producitur. Etiam diarrhoea serosa aut levis est, et post aliquot dies evanescit; aut gravior, quae plures affert molestias, ut ardoris sensum circa anum, et internam membranae

intestinalis erosionem. Diarrhoea mucosa nunc acuta est, nunc chronica, et saepe diu permanet. Interdum sollicitum et faustum habet finem; interdum infert gravia symptomata, et membranae mucosae exulcerationem. Generatim diarrhoeae productae a levibus caussis, et quae in juvenibus et robustis hominibus contingunt, sunt breves, earumque symptomata gradatim minuuntur, et rursus excrementa naturalem consistentiam acquirunt. Diarrhoeae vero diuturnae interdum perniciosae sunt, maxime in debilibus et senibus, in quibus facile delentur vires, et periculosa mala consequuntur. Interdum sectione cadaverum in membrana mucosa intestinali chronicae inflammationis vestigia, exulcerationes, folliculi mucosi exulcerati, scirrhosi, cancerosi reperiebantur. Diarrhoeae admodum diuturnae et effusae, quia corpori nutritionem auferunt, in tabem et hydropem non raro abeunt; sed interdum etiam sponte sanantur, restauranturque vires. Flatus cum crepitu a ventre exeuntes in chronicis diarrhoeis bonum offerunt signum; nam intestina vires resumere indicant. Etiam vomi-

tus spontaneus interdum utilis est, ut monet Hippocr. aphor. 6. 15. = A profluvio alvi longo correpto, vomitus sponte accedens, solvit alvi profluvium. = Diarrhoea autem in gravidis abortum producere potest, ut ait Hippocr. aphor. 5. 34. = Mulieri uterum gestanti si alvus multum fluxerit, periculum est, ut abortiat. = Quod tamen, ut animadvertit Burserius, perpetuum non est; siquidem ad partum usque aliquando perseverat alvi fluxus, qui post partum sponte cessat. De qualitatibus et colore egestionum multa adnotant practici, sed in primis Hippocr. qui Coac. 611. inquit = Valde rubicunda egestio in alvi profluvio mala est. Mala quoque valde cum virore pallida, aut alba, aut spumosa, aut aquosa; et parva, et viscosa, et levis, et cum virore subpallida mala est. Et soporosis torpefactis liquida egestio pessima est. = Aphor. 2. 4. = In alvi profluviis mutationes excrementorum juvant, nisi in prava mutentur. = Generatim egestiones nigrae, pingues, lividae, porraceae ac virides, aeruginosae, foetidae, variae, inaequales ma-

gis perniciosae sunt. Si autem diarrhoea sit symptomatica, ejus prognosis et ab ipso primario morbo, et ab effectibus modo bonis, modo malis, a quantitate et qualitate egestionum praecipue deducitur. In pluribus morbis vel acutis vel chronicis aut juvat, si tollat expellendas materias, aut nocet, si vires dejiciat, symptomata augeat primarii morbi, turbet naturae motus, et extrudantur materiae, quae ejici non debent. Multa de hoc apud Hippocr. inveniuntur. Aphoris. 6. 16. = A pleuritide aut peripneumonia occupato, alvi profluvium accedens, malum = Coac. 129. = Alvus in febre ardente affatim prorumpens, mortis periculum affert = Ibid. 224. = Ophthalmia laboranti alvi profluvium sua sponte prodiens, utile est. = Aphoris. 5. 24. = A tabe detento alvi profluvium superveniens lethale = 12. ejusdem sectionis. = Quibuscumque tabe laborantes capilli de capite defluxerint, hi alvi profluvio accedente moriuntur = 6. 60. = Si leucophlegmatiae vehemens diarrhoea supervenit, malum solvit = 7. 29. = Si a pituita alba detento, vehemens alvi proflu-

vium accedat, solvit morbum. = In universum mala est quaevis dejectio symptomatica nimis copiosa; et pessima cum ventre subtumido et crescente. Si copiosum alvi profluvium perseveret, et vox tremula fiat, malum est. In morbis, praecipue acutis, maxime inter initia dejectiones porraceae, virides, foetidae aut mortem aut morbi diuturnitatem praenuntiant. Sic lethales sunt dejectiones nigrae, lividae, putidae, inaequales, etc. Inquit Hippocr. Coac. 632. = Malae sunt etiam egestiones valde rubrae aeruginosae in quartanis. = Si diarrhoea sit secundaria, et proveniat a morbosa materie ad intestina translata, ut herpetica, podagrica, saepe periculosa est, nisi cito materies ista ad pristinam revocetur sedem. Denique in morbis, potissimum acutis, saepe contingit utilis et critica diarrhoea, quae illos penitus resolvit, ut ex. gr. in febribus diversi generis diarrhoeae biliosae sunt.

§. 1127. Lienteria saepe abit in consumptionem et hydropem, praesertim in scorbuticis. Hic morbus facilius vincitur in juvenibus, difficillime provectioribus. Magis

calamitosa est lienteria diuturna dysenteriae secundaria; et ubi urget magna sitis, perit appetitus, urinae parcae redduntur, os exulceratur, facies rubet, et dejectiones sunt nigrae, foetidae, frequentissimae. Maxime periculosa est lienteria, si complicetur cum ictero, hydrope, febribus tertianis et lentis. Speranda tum est sanatio, cum redit appetitus, enutritur corpus, copiosius urina fluit, cum dejectionibus exeunt flatus, et ructus acidi superveniunt. Inquit Hippocr. aphorism. 6. 1. = In diuturnis intestinorum laevitatibus, ructus acidus accedens, qui prius non erat, signum bonum. = Passio coeliaca est ut plurimum diuturna et perniciosa affectio; nam saepe in tabem, hydropem, et mortem desinit. Pessima est quae ab obstructis glandulis mesenterii et intestinorum, aut ab ulceratione ortum habet. Sic maxime calamitosa, quae a dysenteria provenit. Fluxus hepaticus apud nos rarus, est persaepe morbus molestus, pertinax, et curatu difficilis. Exhaurit enim vires, et transit in cachexiam, tabem, hydropem, et mortem. Tamen si recens, in juvenibus, et robustis

hominibus interdum sanatur. Quandoque inflammatio hepatis, et febres ardentes hoc fluxu resolvuntur. Si dysenteriae succedat, ut plurimum lethalis est.

§. 1128. Errore ducuntur qui pro curandis alvi fluxibus generalem et firmam methodum statuere volunt, ut Caelius Aurelianus, Celsus, qui a purgantibus et sanguinis missionibus se abstinebant; Etmullerus, qui non praescribebat, nisi roborantia; alii plures, qui nunquam in initio cohibere diarrhoeam existimant, ut vitiosi detrudantur humores; Brown, ejusque sectatores, qui solum adhibent exstimulantia pharmaca, siquidem asthenicam diathesin semper esse caussam opinantur. Ut curatio recta sit, et emolumentum afferat, secundum morbi speciem, caussas, symptomata est ordinanda. Quapropter si diarrhoea cum signis hypersthenicae diatheseos compareat, aetas et temperies sit florida, febris adsit cum torminibus, suppressio menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum in caussa sit, unde in vasis gastricis congestio sanguinis fiat, instituantur venae sectiones; ano, perinaeo, pudendis

applicentur hirudines ; usurpentur demulcentia, diluentia, ut decoctiones hordei, radicis althaeae, seminum lini ; injiciantur clysteres ex decotione hordei ; fiant fotus emollientes, si torqueant tormina ; victus tenuis esto. Deinde si persistat diarrhoea, nullo existente inflammationis indicio, ad refractas doses, et ad nauseam movendam dari potest ipecacuanha. Diarrhoea autem ex gastricis materiis, nunquam cohibenda, sed potius levi infuso rhabarbari, aut aliquo syrupo solutivo promovenda est; et ubi nausea, propensio ad vomitum, aliaque signa ventriculi impuritates denotantia compareant, exigua dosis ipecacuanhae est exhibenda. Praeterea potiones ex jure pulli, et clysteres ex decoctione hordei utiles sunt. Si diarrhoea ex vermibus, levibus purgantibus, et anthelminthicis curatur. Si sit biliosa, parcae doses cremoris tartari, decoctio tamarindorum; potiones ex aqua cum succo mali medici, aut ex decoctione hordei; clysteres ex eadem decoctione conferunt. Si serosa, et a suppressa perspiratione nascatur, potiones egelidae, et leviter diaphoreticae, ut infusio flo-

rum sambuci aut simplex, aut cum spiritu Mindereri, decoctio cornu cervi; lecti tepor; aër etiam tepidus et siccus; tenues ipecacuanhae doses; pulvis Dower; frictiones; balnea calida sunt quae curationem absolvunt; sed si hisce remediis obsistat morbus, adhibeantur adstringentia, roborantia, et opiata, ut diascordium, simaruba, radix bistortae, tormentillae, chino, catechu, etc. Eadem fere curatio convenit pro diarrhoea mucosa, praecipue si ab eadem caussa proveniat. Interdum vero pertinax est, omnibusque obnititur remediis. Hoc in casu varia praestat experiri remedia donec aliquod reperiatur opportunius. Ill. Professor Jac. Folchi rebellem mucosum alvi fluxum aliis absque fructu adhibitis remediis, radice bistortae potuit comprimere, ut Mater. Medic. Compend. vol. 1. cap. 8. p. 200. hisce verbis refert = Nos hoc ipso pharmaco contrahere potuimus ventrem in sene pedemontano, qui podagrae obnoxius, vinoque deditus, jamdudum fluxu mucoso laborabat, multaque alia adstringentia incassum assumpserat. = Si diarrhoea producatur a fortioribus purganti-

bus, et tormina vexent, conveniunt jura pulli, emulsio arabica, oleum amygdalarum dulcium, fotus, clysteres ex decotione hordei et lacte; deinde opium, diascordium, laudanum liquidum: si ab assumptis venenis, haec prompte sunt deturbanda, et ubi eorum cognoscatur natura, antidota adhibenda: si ab acri principio, quod ab intestinorum torminibus, ructibus frequentibus et sensum ardoris ad fauces excitantibus deprehenditur, praecipua remedia sistunt absorbentia. Saepe lactentibus diarrhoea vel a dentitione, vel a lacte aliisque alimentis non bene concoctis obvenit. Si oriatur a dentitione et levis sit, potius linquenda; nam placat dentitionis symptomata: sed si gravior, hujus symptomata ut ardor et dolor gingivarum, tormina ventris, convulsivi motus, etc. remediis mitigentur, ut clysteribus ex decoctione oryzae, vel hordei; aliquo grano rhabarbari torrefacti et magnesiae; vespere syrupo diacodii. Si ab alia caussa, nempe a lacte, aliisque non digestis alimentis, prius detur syrupus cichorei cum rhabarbaro, etiam pluries, et injiciantur clyste-

res ex aqua tepida; deinde absorbentia; tandem stomachica. Si diarrhoea exoriatur ab asthenia sive universali, sive partiali intestinorum, tonica et adstringentia eligantur, ut composita ex opio, martialia, cortex peruvianus, angusturae, simarubae, cascarillae, radix columbo, ratanhiae, lignum campechianum, alumen, chino, catechu, etc. Diarrhoea chronica ut plurimum ab asthenia proficiscitur; ideoque etiam in hanc valent tonica et adstringentia; sed maxime adjuvat ipecacuanha ad refractas doses, et pulvis Dower. Interdum aqua calcis cum lacte et gummi arabico salutaris reperta est. Modice concedatur vinum, sed quod in stomacho aciditatem non generet. In diversis diarrhoeae speciebus componuntur secundum morbi caussas et symptomata clysteres abstergentes, sedantes, roborantes, adstringentes, etc. Usitatiores fiunt ex sero lactis; ex lacte cum vitello ovi; ex jure pedum vituli; ex decoctione hordei et lacte, ex eadem decoctione, addito ovi vitello, aut amylo et opio, aut melle rosaceo, aut theriaca, aut diascordio, aut terebinthina vitello ovi solu-

ta; ex decoctione corticis peruviani; ex illa radicum consolidae, tormentillae, aut florum chamomillae cum laudano liquido, etc. Generatim victus in jusculis oryzae, et assatis carnibus vituli et pulli consistat; et temperanter adhibeatur vinum. Quo aegri diarrhoea correpti conveniunt, saepe renovetur aër; prompte abducantur dejectae materiae; et ut conservetur mundities, saepe mutentur linteamina. Convalescentes, maxime debiles, et qui frequenter in morbum incidunt, sobrie vivant, pulmenta ex oryza, et ova sorbilia recentia, teneras assatas carnes edant, et generosum vinum modice hauriant: fugiant vegetabilia, fructus aestivos, alimenta pinguia; frigus et humiditatem, et quidquid perspirationem reprimat. Non raro si non adhuc confirmata sit valetudo, opus est medicamentis uti, ut sunt cortex peruvianus, martialia, aquae ferrugineae, etc; praeterea equitationem, deambulationem, campestrem aërem, et ad perspirationem custodiendam indusium laneum super carnes praecipere. Dum diarrhoea est symptomatica, curatio praesertim hauritur ab indole primarii morbi;

si secundaria, et a materia quadam morbosa, ut podagrica, ad intestina trajecta, haec ad partem prius affectam calidis fotibus, vesicantibus, sinapismis reducenda, et eodem tempore diapnoicis perspirationi favere opus est.

§. 1129. Lienteria curatur, si vires stomacho, intestinis, et universo systemati restituantur; nam hac ratione caussa et symptomata morbi tolluntur. Sed in primis eripiantur indigestae materiae aut rhabarbaro, aut decoctione tamarindorum, aut aliqua absorbenti terra; deinde locum habent tonica, stomachica, adstringentia, ut cortex peruvianus, radix columbo, ratanhiae, opium, theriaca, diascordium, chino, sanguis draconis, aquae minerales ferrugineae, etc. Victus sit simplex, digestu facilis, et optime paratus. Pro passione coeliaca curandum est, ut chylus per systema vasorum lacteorum, et mesenterii glandulas transeat. Interdum, ut in infantibus usuvenit, pituitosi infarctus oscula vasorum lacteorum obstruunt, et hinc materia alibilis egeritur, et consumitur corpus. Hoc in casu eccoprotica et resolventia

juvant. Interdum caussa est universalis debilitas, praecipue vasorum lacteorum, et tum roborantia et adstringentia; interdum est obstructio glandularum mesenterii, et tum resolventia conveniunt, ut sapones, mercurialia. Tandem fluxus hepaticus primarius, utpote plerumque ortus ab atonia generali, et speciali hepatis vel alterius visceris, et ab aliquo horum viscerum, praecipue hepatis infarctu, levia aperientia, tonica, et adstringentia expediunt, ut crocus martis, aquae martiales, decoctiones tormentillae, plantaginis, tinctura rosarum rubrarum, laudanum liquidum, etc. Si in intestinis extent impurae materiae, aliquod eccoproticum porrigatur. Alimenta autem sint levia, fluida, demulcentia, ut juscula oryzae; jura pulli, vituli, ranarum; ova recentia sorbilia; lac asininum.

GENUS QUINTUM

Dysenteria

§. 1130. Dysenteria est alvi dejectio frequens, mucoso-cruenta cum torminibus et tenesmo. Sed quamvis hujusmodi characteres dysenteriam constituant, non semper tamen dejectiones sunt mucoso-cruentae, nec semper urget tenesmus. Hinc de affection. XXIV. inquit Hippocr. = *Δυσεντερίη ὅταν ἔχῃ, ὀδύνη ἔχῃ κατὰ πᾶσαν τὴν χοιλίην, καὶ στρόφος, καί διαχωρέει χολήν τε καὶ φλέγμα, καὶ αἷμα ξυγκαικαυμένον.* Dysenteria cum habuerit, dolor adest per totum ventrem, et tormen, et egerit bilem et pituitam, et sanguinem combustum. = Dysenteriae vox a *δυς* et *ἔντερον* composita, dolorosam intestinorum dejectionem significat, et vulgo difficultas intestinorum interpretatur. Non omnes vero scriptores in assignanda classe, cui pertinet dysenteria, conveniunt. Etenim Cullen eam posuit inter

pyrexias, febrem considerans, ut praecipuum characterem, et faeces ut plurimum retineri: Pinel inter membranarum mucosarum phlegmasias: Alibert inter catarrhos, eamque vocavit blennateriam. P. Franch dysenteriam locavit inter profluvia, sed febrem existimat praecipuum esse characterem, et inquit plures id non admittere, quia in aliquibus casibus vix frequentia pulsuum manifestatur, et alia foenomena, quae hunc characterem confirmant, ut sunt lassitudo, tristitia, cutis ariditas, sitis, etc. non animadverterunt. Verum non omnia haec foenomena semper in dysenteria contingunt; et interdum in hac, ut in aliis morbis non febrilibus observantur. Nos igitur dysenteriam inter febres non ponimus, nec febrem habemus, ut illius praecipuum characterem; non inter phlegmasias, licet saepe in internis intestinorum parietibus aut acutae, aut lentae phlogoses, ut morbi effectus, excitantur; non inter catarrhos, quia non semper nascitur dysenteria a caussis illorum propriis, et hujus caussae non solum in membranam mucosam, ejusque glandulas,

sed etiam in alias membranas, vasa, et nervos operantur, unde suscitantur foenomena, quae faciunt, ut dysenteria a catarrhis, cum quibus multam habet analogiam, distinguatur, ut cum non mucus sanguine suffectus, sed purus sanguis ab intestinis dejicitur; sed cum plerisque inter alvi profluvia, siquidem nisi faeces, mucus et sanguis ut plurimum cum tenesmo ab intestinis egeritur.

§. 1131. Diverse ab auctoribus dysenteria dividitur. Jam pridem secundum colorem, et naturam dejectae materiae fuit inutiliter distributa, scilicet in albam, cum materies ista alba est et puri similis; in mucosam, cum expellitur intestinalis mucus; in cruentam, cum exilit purus sanguis. Generatim vero dysenteria est primaria, symptomatica, secundaria, critica; sporadica, endemica, epidemica; simplex, complicata; benigna, et maligna; contagiosa, et non contagiosa; acuta, et chronica. Alibert in octo species dysenteriam dividit, scilicet simplicem, inflammatoriam, biliosam, hecticam, putridam, malignam, pestilentialem,

epidemicam. Sed hujusmodi divisio nimis diffusa nullo modo admittenda videtur; nam aliae sunt dysenteriae symptomaticae, aliae non pertinent nisi ad unam speciem, ut putrida, maligna, pestilentialis, quarum characteres dysenteriam nervosam, aut malignam constituunt. Quoniam autem dysenteria primaria varios offert gravitatis gradus, ejusque symptomata modo inflammatoriam, modo nervosam morbi indolem patefaciunt, mihi visum est, eam in mitem et graviorem; in inflammatoriam, et nervosam seu malignam dividere. Harum igitur specierum signa tradam, sed prius de generalibus dysenteriae symptomatis dicendum est.

§. 1132. Ut plurimum dysenteriam praecedunt quaedam indicia, ut lassitudo, inappetentia, nausea, flatus, dolores abdominis errantes, proclivitas ad vomitum, lingua sordida, horror cui succedit calor, et frequentia pulsuum, capitis et lumborum dolor. Post haec prodroma accedunt symptomata dysenteriam constituentia, cum quibus morbus incipit, si illa deficiant. Interdum

febris omnino deest, interdum est levis, interdum gravior, et usque ab initio indolem inflammatoriam aut nervosam explicat. Dolores abdominis fiunt frequentiores et graviores, et modo sunt fixi, modo errantes; urget dejiciendi necessitas, et molestus tenesmus; dejectae materiae ut plurimum sunt mucoso-cruentae et foetidae, sed non raro acres, tenues, ardentes, rodentes et exigua quantitate, aut simpliciter mucosae, aut purulentae, aut omnino cruentae; interdum cum materiis istis excernuntur filamenta et carunculae, quae sunt totidem frustula membranacea, quae a villosa intestinorum membrana evelluntur, licet haec expositio P. Franch minime quadrat, qui illa filamenta effincta credit a puriformi materia, quae ab interna intestinorum superficie praeternaturaliter secernitur; sed inspectionibus cadaverum frustula membranacea in illis inveniuntur locis, ubi erosiones et ulcera deprehenduntur. Cum designatae dejiciuntur materiae, raro egeruntur naturales faeces, si globuli fusci et duri excipiantur scybala nuncupati, quorum post exitum

per aliquod tempus levamen symptomatum, scilicet dolorum et tenesmi, aegrotantes percipiunt. Sed saepe eadem redeunt symptomata, et interdum sub violento conamine portio recti intestini ad ani margines protruditur, idque potissimum pueris contingit. Cum dysenteria in melius vertitur, symptomata minuuntur, et gradatim redit quies, ciborum appetentia, et dejectiones ad statum naturalem reducuntur. Sed cum dysenteria permanet, et gravior fit, aut gravis usque ab exordio apparet, omnia foenomena graviora sunt, et saepe lethalia. Frequenter etiam in intestinis accenduntur phlogoses, quae in suppurationem et gangraenam abeunt. Plerumque inter morbi initia afficiuntur crassa intestina; sed interdum tenuia, aut utraque. Non igitur assentimur Alibert, qui solum post longum tempus partem intestinorum tenuem affligi arbitratur. Hoc posito, a signis opus est discernere quae sit morbi sedes. Quae denotant intestina tenuia morbo corripi, sunt dolor acutus, lancinans, assiduus circa umbilicum; ructus; flatus; vomitus, dejectiones, quae doloribus non su-

bito succedunt; sanguis magis excrementis immixtus: quae crassa, sunt dolor nec tam pungens, nec tam assiduus, qui ab umbilico distat; dejectiones mucoso-cruentae statim post dolores, et tenesmum; sanguis, materies mucosa, purulenta excrementis leviter adhaerens, si haec evacuentur. Tandem si omnia haec symptomata promiscue prodeant, quin utraque intestina afficiantur, indubium erit.

§. 1133. Dysenteria mitis plerumque signis prodromis supra expositis aggreditur; deinde dolores acerbiores fiunt, dejiciendi necessitas et tenesmus premit; et prius egeruntur faeces, quae in recto intestino continentur, muco et striis sanguineis immixtae. Haec symptomata identidem remeant, et materiae mucoso-cruentae expelluntur. Tam mitis dysenteria fere nunquam stipatur febre, remediis obtemperat blandioribus, et post aliquot dies redit quies et appetentia ciborum, omniaque morbi signa evanescunt. Dum autem gravior est, non deest febris, et symptomata graviora sunt. Urgent magna sitis, cibi fastidium, dolores atroces, frequens dejicien-

di necessitas, molestus tenesmus, et exigua quantitas muci cruenti, aut materies acris, urens cum incommodo ani ardore detruditur. Interdum haec symptomata manent, augenturque; interdum post aliquot hebdomadas imminuuntur, et paullatim quies et appetitus regreditur, intestinorum discutitur irritatio, solida fiunt excrementa, quae facilius egeruntur, omnesque functiones ad statum naturalem revertuntur. Si dysenteria sit inflammatoria, quae ut plurimum contingit in hominibus robustis et plethoricis, et qui consuetis sanguinis fluxibus orbantur, febris est vehemens; pulsus durus, plenus; facies rubra; capitis dolor; oculi suffusi sanguine; internus ardor; sitis ardens; lingua arida et rubra; acuta et atrocia tormina; maxima anxietas; gravis abdominis tensio; urina flammea; excrucians tenesmus; et dejectiones exiguae et cruentae. Quandoque in hac dysenteriae specie feralia exoriuntur foenomena, ut assiduus vomendi conatus, aut inanis vomitus; singultus; faciei distorsio; animi deliquia; convulsiones; delirium; maxima virium destitutio, et quae gangraenam et

sphacelum intestinorum declarant. Cum dysenteria est nervosa, aut maligna, deficiunt vires; pulsus est parvus, debilis, irregularis; magna est mutatio vultus; imminuitur oculorum acies; lingua est sicca, nigra; deglutitio difficilis; dejiciuntur materiae saniosae, tetrum putorem reddentes, interdum cum vermibus; spirat è corpore cadaveris odor; erumpunt aphthae, peticulae, miliaria, ecchymomata; relinquit animus; accedunt vertigines, singultus cephalalgia, vomitus materiei porraceae, nigrae, ischuria, convulsiones, tendinum subsultus; tormina ventris acutissima, quae non advertit aeger dum delirans factus est; gravis urget tenesmus; interdum cum maximo dolore distenditur venter, interdum est mollis et cedens; saepe contingunt haemorrhagiae; tandem supervenit profundus sopor, resolvuntur sphincteres, et aegri de vita migrant. Huic dysenteriae speciei illa quae putrida, castrensis, navalis, nosocomialis dicitur, referri potest.

§. 1134. Saepe dysenteria aliis componitur morbis, sive acutis sive chronicis, ut in infantibus variolis, morbillis, aciditatibus

ventriculi, dentitionis incommodis; in adultis febribus, affectionibus gastricis, biliosis, rheumaticis, cachexiis, etc. Hujusmodi complicationes a signis diversarum diathesium, et morborum comprehenduntur. Quamobrem ubi adest complicatio gastrica et biliosa, tempore aestivo frequentior, oris amarities, lingua sordida lutea, halitus foetens, repugnantia ab alimentis, vomitus bilis viridis, egestiones biliosae et cruentae, urina crocea, gravis capitis dolor, tenesmus, convulsivi tremores apparent. Si dysenteria cum diathesi rheumatica conjungatur, ut autumnali tempestate frequentius evenit, dolores artuum, colli, dorsi pectoris; tussis; etc. quae symptomata noctu exacerbantur, cum torminibus ventris, tenesmo, dejectionibus mucosis et sanguineis connectuntur. Interdum vero, hac extante complicatione, exoritur intestinorum inflammatio, quae a vehemente febre, vomitu, distensione ventris cum dolore, ischuria detegitur. Animadvertendum est, quod ubi dysenteria est epidemica, characteres regnantis constitutionis proprios assumit. Varium autem constitutionum epidemi-

carum ingenium praecipue a diversis anni tempestatibus, aëris vicissitudinibus, locisque dependet. Idcirco est admodum maligna, si in regionibus paludosis, insalubribus, et ubi aër est maxime infectus ortum habet, ut in urbibus obsidione detentis. In tropicis regionibus ubi dysenteria biliosa epidemice debacchari solet, praeter hujus syptomata, illa nunquam desunt, quae morbosam hepatis affectionem demonstrant, ut dolores dextri hypochondrii, ad scapulam ejusdem lateris producti; icterus; tussis; etc. Hoc cadaverum sectionibus confirmatur, quibus hepar ulceribus exesum, aut vario modo corruptum invenitur.

§. 1135. Quoad dysenteriae caussam non eodem modo sentierunt auctores. Veteres enim eam constituerunt in intestinorum ulceribus; posteriores in acrimonia bilis aut in aliquo acri, irritanti, et caustico humore; inter recentiores alii in phlogosi, alii in affectione catarrhali internae intestinorum membranae, alii in adaucta illorum sensibilitate. Si vero animadvertatur, quod plures potentiae irritantes ut contagium, miasmata, purgantia fortiora, humores acres, etc. in-

ferre valent dysenteriam, mihi videtur ejus caussa in illa morbosa intestinorum conditione consistere, quae ab hodiernis pathologis irritatio nuncupatur. Quoniam autem irritatio ad vicinas vel ad remotas partes ratione consensus propagatur; aut in phlogosin degenerat; aut complicatur cum sthenica, vel asthenica diathesi; facile intelligitur, quare pro diversis casibus dysenteria progignitur modo mitis, modo gravior, modo inflammatoria, modo nervosa. Si enim levis sit irritatio, exoritur dysenteria mitis, cujus symptomata sunt levia, inter quae est aucta glandularum membranae mucosae intestinorum secretio: si irritatio sit gravior, commovetur febris, et omnia symptomata graviora sunt: si irritatio aut cum sthenica, aut cum asthenica diathesi conjungatur, producitur dysenteria, cujus characteres indolem inflammatoriam aut nervosam ostendunt. Caussae autem hujusce morbi praedisponentes in virium debilitate, in nimia nervorum sensibilitate, in temperamento laxo et lymphatico, et interdum etiam in robusto et plethorico adinveniuntur. Caussae vero exci-

tantes plurimae sunt, ut insalubria alimenta, et parum nutrientia; fructus acidi, et immaturi; impurae aquae; liquorum spirituosorum abusus; nimium violenta corporis exercitatio; repressa perspiratio; purgantia fortiora; humores acres intestina exstimulantes et vellicantes; animi pathemata; miasmata; noxia paludum effluvia; morbidus aër, ut in castris, navibus, carceribus, nosocomiis, urbibus obsessis; quaedam aëris qualitates, ut nimis calida, calida et humida, frigida et humida; caloris et frigoris vicissitudines. Inquit Hippocr. aphor. 3. 11. = De temporibus, siquidem hyems sicca, et aquilonaris fuerit, ver autem pluviosum, et australe, necesse est aestate febres acutas, et lippitudines, et dysenterias fieri, maxime mulieribus, et viris natura humidioribus. = Contra in sequenti aphor. observat, quod si hyems australis, pluviosa, ac clemens fiat, ver autem siccum et aquilonare dysenteriae contingunt. Praeterea an inter excitantes caussas adnumerandum sit specificum contagium, quod dicitur dysentericum, quaestio est. Alii enim hoc ne-

gant ; alii contendunt , simplicem dysenteriam non esse contagiosam , sed solum illam , quae complicatur cum typho , idque fieri non a specifico dysenterico contagio , sed ab illo typhico ; alii credunt , esse dysenteriam contagiosam , cum est morborum contagiosorum symptoma , ut variolarum malignarum , peticularum, miliaris exanthematis , etc; alii admittunt dysenteriam nervosam contagio propagari , sed hoc contagium non constans , sed fortuitum judicant . Sprengel dum de dysenteriae remotis caussis loquitur pathol. special. §. 417. inquit: = In his autem potissimum numerandum est contagium : de quo licet contrariae sint medicorum sententiae , exploratum tamen habemus , nervosam et malignam dysenteriam contagio propagari , licet Zimmermanno adsentiamur , non constantem , sed fortuitam esse infectionem , atque nimiae humorum corruptioni tribuendam. = Sed quomodocumque se res habeat , dysenteria maligna contagiosa est ; et dum efformatum fuerit contagium , hoc vel attactu , vel ad aliquam distantiam ab infectis in sanos propagatur.

Statui vero tuto non potest', an magis per dejectas materias, aut perspirationem, aut halitum dysentericorum diffundatur contagium; quamvis expedite dysenteriam in sanos extendi certum sit, qui eadem ac dysenterici latrina utuntur; quod corruptum mucum virulentum esse suadet. Verum enim vero in dysenteria maligna maximam humores subeunt alterationem, et hinc perspiratio etiam et halitus dysentericorum admodum contagiosi fiunt.

§. 1136. Ut aliquid certi de dysenteriae exitu decidamus, ejus speciem, caussas, symptomata inspicere debemus. Si igitur cognoscimus, dysenteriam esse mitem et sporadicam, haec per aliquotd ies molestat, et remediis etiam blandioribus cedit. Tamen caute judicandum est; nam aliquando mitis apparet in initio, sed deinde gravior et periculosa fit. Inquit Kleinius Interpr. clinic. pag. 62. = Quandoque in principio simulat diarrhoeam benignam, pedetentim vero malitiose emergit dysenteria, quocirca consideretur epidemia specialis. = Dum dysenteria gravior est, portendit periculum; siquidem symptomata graviora sunt, et inflam-

mari, et exulcerari possunt intestina, ut sectione cadaverum deprehenditur. Aliquando tamen est prima hebdomada gravior, secunda mitior et feliciter terminatur. Dysenteria inflammatoria est discrimine plena, utpote in gangraenam, et sphacelum intestinorum haud raro vertitur. Maligna et epidemica saepe lethalis est; nam ea correpti raro servantur. Complicata est difficilioris curationis, et crebro funestum habet finem, ut illa, quae cum febribus, et exanthematibus mali moris, aut cum scorbuto, syphilide, tabe pulmonali, et in pueris cum difficili dentitione complicatur. Symptomatica sequitur sortem primarii morbi; sed hunc saepe ampliorem reddit et lethalem. Secundaria interdum levis est, et primarium morbum resolvit, ut illa non longa, quae nonnunquam supervenit hypochondriacis; interdum gravior et maxime periculosa, ut illa ex retrocessu alicujus materiae morbosae, quae inflammat intestina, et in abscessum, ulcera, et gangraenam degenerat. Critica et salutaris, quae vero non adeo frequenter evenit, affert alterius morbi levamen, ut illa ex. gr. splenicis, et in-

sanis superveniens. Inquit Hippocr. Coac. praenot. 466. = Dysenteria non longa splenicis commoda est. = Aphor. 7. 5. = Ex insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio bonum. = Chronica et habitualis non sine negotio curatur; ominosa est praesertim in senibus et alio morbo detentis; et in hydropem, lienteriam, passionem coeliacam, tabem faciliter transit. Ait Hippocr. aphor. 6. 43. = Quicunque splenici a dysenteria corripiuntur, his longa accedente dysenteria, aut hydrops accedit, aut intestinorum laevitas, et pereunt = In cit. textu Coac. praenot. 466. postea dixit = longa vero mala: desinente enim, si hydropes, aut intestinorum laevitates fiunt, lethale est = Dysenteria est morbus in recidivam versus, praesertim si convalescentes aëri frigido et humido exponantur; persaepe relinquit incommoda secundaria, quia nec facile corpus redit ad vires, nec amissum robur recuperant intestina. Hinc universa debilitas, digerendi difficultas, alvi durities, pertinax tenesmus, haemorrhoidum tumor, recti prolapsio, oedemata, anasarca consequuntur.

Non potest igitur in universum admitti quod op. cit. pag. 60. ita Kleinius effert = Dysenteria feliciter superata relinquit plerumque intestina firmiora, quocirca post haec nec huic nec diarrhoeis facile obnoxii sunt convalescentes. = Hoc evenit, si dysenteria in hominibus robustis, juvenibus, et optimo temperamento donatis contingat; si caussae sint leviores; si morbus potius ad purgandum, quam ad laedendum corpus oriatur. Plures ut vidimus ad dysenteriam sunt magis dispositi, et hi etiam magis periclitantur, ut senes, pueri, et qui alios morbos patiebantur. Caussae autem quae excitant dysenteriam aliae sunt leves, ut humorum abundantia in hominibus bene enutritis et desidibus; interceptae haemorrhoides; nimius fructuum horaeorum usus; plethora in graviditatis initio, aut circa finem; in pueris redundantia sanguinis; etc. aliae graviores, ut paludum miasmata; morbidus aër; tempestatum injuriae; contagium dysentericum; etc. A primis ut plurimum progignitur dysenteria benigna, facile sanabilis, ut illa a plethora in initio graviditatis emissione sanguinis, aut circa finem

partu sponte sanatur; a secundis epidemica, maligna, pestilens. Quocirca in regionibus paludosis, et calido-humidis perniciosiores dysenteriae grassantur, et decedente aestate, cum imbres defluere incipiunt, frequentiores sunt. Symptomata vel salutem, vel malum morbi finem denuntiant. Ex primis sunt febris mitis; leviora tormina et tenesmus; globuli fusci stercoris, qui cum muco striis sanguinis suffecto expelluntur, quorumque egestionem multum levaminis sequitur; flatus, qui non aderant, et observante Baglivio pedendo emittuntur; excrementa, quae fiunt aliquantum solida; pulsus plenior, tardior, mollior; sudor universus, blandus, calidus; urina copiosior, et facile subsidens; edendi cupido; somnus quietus, et reficiens: ex alteris ingens virium imbecillitas ab ipso morbi initio; febris continua, quae leves remissiones habet; assidua vehementia tormina, tenesmus, dejiciendi necessitas; cardialgia; praecordiorum anxietas; dejectae materiae virides, nigrae, cineraceae, lividae, ichorosae, maximae foetidae, carunculis immixtae, aut omnino cruentae sine mixtione muci; ani-

mi deliquia; sitis ardens; singultus; vomitus progrediente morbo accedens; dolorum cessatio sine caussa; pulsus debilis, parvus, frequens, irregularis; extremitatum frigus; sudor viscosus, frigidus, partialis; delirium; convulsiones, tendinum subsultus; peticulae; miliaria; vibices; aphthae cinereae, lividae, nigrae; deglutitionis difficultas; resolutio sphincterum; lethargicus sopor; etc. Ut plurimum tenesmus est grave symptoma, maxime in senibus, sed non adeo in infantibus. Inquit Kleinius op. cit. pag. 66. = Tenesmus magis benignus est in infantibus, quam adultis, maxime grandaevis. Illi ad menses aliquot quandoque ferunt, his haud raro est exitialis. = Vomitus qui interdum accidit in principio morbi, modo bonus, si spontaneus, et ab assumptis sit, et morbum ipsum anteoccupet; modo malus, ut biliosus, de quo Hippocr. Coac. praenot. 463. = Dysentericis vomitus biliosus in principio malus est. = Carunculae, quae cum aliis materiis exeunt, malum portendunt omen. Hippocr. aphor. 4. 26. = Si a dysenteria detento velut carunculae secesserint, lethale

est. = Saepe inter morbi initia mucus in intestini lacunis concretus, et ejectus, refert carunculas; sed hujusmodi excretio lethalis minime est. Pessimae sunt carunculae, quae in maligna, et diuturna dysenteria secedunt, utpote quae intestinorum portionem ulceribus exesam, et emortuam indicant. Sunt autem quaedam symptomata, quae gangraenam, sphacelum, et mortem sollicitam nuntiant, ut labiorum livor, excavati oculi, extremitatum frigus, sitis ingens, lingua arida, dolorum cessatio sine caussa. Sectione cadaverum non raro in intestinis inveniuntur inflammationis vestigia, ejusque sequelae, ut exulcerationes, erosiones, constrictiones, duritiae, gangrenae. Saepe in intestinis tenuibus glandulae tumidae, vasa sanguine plena, exulcerationes, aphthae, ut et in ipso ventriculo observantur. Crebro crassa intestina constricta, et ulceribus rosa; interdum solum rectum inflammatum et exulceratum fuit repertum.

§. 1137. Etiam curatio ad morbi species, caussas, et symptomata exigatur. Tamen ut generale praeceptum statui potest,

nunquam statim adstringentia et opiata convenire; sed ut plurimum expellendas prius esse materias jam in intestinis secretas, quod levibus purgantibus fieri debet, nempe pulpa cassiae, tamarindorum, manna, oleo amygdalarum dulcium, etc, quae saepe identidem repetenda sunt. Dysenteriae mites non raro hisce solis curantur, quae ut Sauvages, aliique testantur solis aquis mineralibus pluries fuerunt emendatae. Adstringentia et opiata intempestive adhibita, quia claudunt excernendas materias, adaugent febrem, et plurima inducunt periculosa mala, ut cardialgiam, inflammationem, icterum, singultum, colicos dolores, tympanitem, exulcerationes, aphthas, intestinorum angustiam, gangraenam, etc. Fortiora purgantia nunquam mihi videntur expedire, licet epidemica dysenteria nullis aliis remediis devicta, vitro antimonii cerato cessisse feratur. Sed ut statutam regulam prosequamur, si dysenteria sit mitis et benigna, simplicissima esse debet curatio. Prius exhibeantur eccoprotica, deinde potiones ex decocto hordei, vel aqua cum succo mali medici, et aurei;

eodem tempore injiciantur clysteres ex decoctione hordei et lacte; tandem si persistat morbus, dentur decoctum album Syd. et adstrigentia, ut simaruba, diascordium, ratanhia, etc. Pro victu administrentur juscula, cremores oryzae, ova recentia et sorbilia. Cum autem dysenteria est gravior, convenit in principio eadem curatio, sed addi potest aliqua gummosa solutio; et emollientes fotus, et semicupia fiant, utpote tormina acerbiora sunt; et identidem pulpa cassiae, et tamarindorum porrigatur. Si resistat morbus, non raro juvant mitia diaphoretica, ut infusio florum sambuci, aut tiliae, et etiam ipecacuanha ad pauca grana; tandem adstringentia. Si dysenteria inflammatoria, remedia sint venae sectiones; potiones emollientes, mucilaginosae; clysteres ex decoctionibus althaeae, seminum lini cum amylo; fotus emollientes; semicupia: subacta inflammatoria diathesi, si perseveret morbus, adstringentia. Auxilia autem ad dysenteriam malignam sunt tonica, antiseptica, mitia diaphoretica, adstringentia, epispastica, ut cortex peruvianus, in-

fusio scordii, chamomillae, camphora, acida mineralia, cortex cascarillae, simarubae, campechianum lignum, radix columbi, cathecu, kino, diascordium, theriaca etc. Immittantur etiam clysteres ex decoctione chamomillae, cui aliquot guttae laudani liquidi Syd. addantur. Cum vero in hac dysenteriae specie nonnunquam accendantur intestinorum phlogoses, quae procliviter in gangraenam vertuntur, aliqua sanguinis missio locum habet, sed cautissime instituenda. Si enim in extrahendo sanguine praetergrediamur modum, intercisis naturae viribus, non amplius resolutio speranda est; quamvis hoc salutare praeceptum quidam ex recentioribus systematicis flocci faciant. Facta venae sectione, largum vesicans in abdomen, ubi affligit dolor, est imponendum. Si vero hujusmodi phlogoses materiae rodentes in intestinis secretae invitent, propinandae sunt decoctiones demulcentes, et mucilaginosae, aut jura pulli, et aliqua gummi arabici solutio. Cum dysenteria est chronica et habitualis, proficiunt tonica, amara, adstringentia, opiata, lac vaccinum coctum, cly-

steres cum theriaca compositi, diaetae regimen leve et nutriens. Ubi dysenteria nimis protrahitur, huic aqua calcis tertiae aut aequali parti lactis mixta quandoque subventum est. Si sit complicata, ut accommodemus remedia, naturam morbi cui componitur, speculabimur. Hinc si scorbuto, praeter remedia in dysenteriam, convenit lac, aut serum depuratum lactis caprini, cui addi potest succus alicujus plantae antiscorbuticae, ut nasturtii aquatici, fumariae, cochleariae, beccabungae; aut hujusmodi succus ad aliquam unciam detur quotidie, si nec lac, nec serum possit adhiberi; aut decoctum carnis vitulinae, in quod aliquot guttas spiritus cochleariae indere possumus: si syphilidi, exigua dosis alicujus praeparationis mercurii: si vermibus, levibus praemissis purgantibus vel emeticis, anthelminthica: si acidae ventriculi acrimoniae, in quam propensiores infantes sunt, absorbentia: etc. Si dysenteria symptomatica sit, curatio fiat in primarium morbum; sed linquenda non sunt, quae tam molestum mitigant sym-

ptoma ; Ut si inter foenomena febrium intermittentium - adsit dysenteria , praecipuum remedium erit cortex peruvianus , sed eodem tempore quae dysenteriae subveniunt. Tandem si dysenteria sit secundaria , ut illa , quae ab aliqua retropulsa impetigine , aut arthritide nascitur , sollicite ad pristinam sedem revocandus est primarius morbus , et ad hunc remedia eligantur , et quae dysenteriam emendant . Praeterea omnibus in casibus perquirere debemus caussas , ut belle aptentur auxilia. Si ex. gr. in principio graviditatis ex abundantia sanguinis dysenteria nascatur , conferunt venae sectio , aliquod leve purgans, decoctiones demulcentes , clysteres ex decocto hordei : si a suppressione alicujus exinanitionis sanguineae, ut haemorrhagiae nasalis , menstruorum , haemorrhoidum , lochiorum , a qua caussa dysenteria inflammatoriae indolis produci solet , instituantur venae sectiones et applicentur hirudines illis partibus ex quibus decurrebat sanguis, ut suppleatur deficienti fluxui, et hic etiam revocetur: si ab aëris vicissitudinibus, et perspiratione cohibita, levia

purgantia, emetica, diaphoretica praesertim proficiunt: si a laxitate, in primis auxiliantur tonica et adstringentia, inter quae a pluribus salicaria celebratur: si ab infecto aëre, et a contagio dysenterico, tonica et lenia diaphoretica expediunt. Sed ubi in caussa sit contagium, ut hoc non propagetur, nulla interjecta mora a sanis, aut alio morbo affectis dysenterici separentur, excrementa exportentur, summa lectuum et linteaminum conservetur mundities, aër diligenter renovetur, et suffitus nitrici, vel muriatici fiant. Denique mollienda saepe est symptomatum saevities. Si itaque adsint magna abdominis tensio, acuta tormina, tenesmus molestissimus, juvant fotus emollientes, semicupia, balnea; clysteres ex decoctione althaeae, aut illa hordei et lacte, vel cum ovorum vitellis et oleo amygdalarum dulcium; linimenta ex eodem oleo, recenti butyro; vapores aquae simplicis calidae, aut decoctionis malvae ano excepti: si dysenteria incipiat vomitu, nec emetica, nec purgantia conveniunt, sed solae potiones, et clysteres

ex jure pulli; deinde, dum decessit vomitus, pulpa cassiae, tamarindorum, et reliqua: si ab acutis torminibus, assiduisque dejiciendi conatibus, ac egestis materiis praeparcis, subtilibus, urentibus vehementer provocari intestina cognoscatur, adhibeantur mucilaginosa, ut gummi arabicum lacte et decocto hordei solutum, ex quibus fieri etiam possunt clysteres. Animadvertendum est, quod si nimis frequentes et fortes sint desidendi nisus, hisce quantum sibi licet non obsequatur aeger, qui potius se reprimat, secus majora tormenta, et recti intestini prolapsio contingere potest. Saepe sub continuo tenesmo hujusce intestini excoriatur, et inflammatur extremitas, quam tum recenti butyro, aut oleo ex nucleis theobromae cacao educto oportet linire, vaporesque calidae ad anum immittere. Cum ab atrocitate symptomatum adimitur quies, praecipuum remedium est opium, et ex eo composita. Si compareant lingua sordida, nausea, oris amarities, sitis, cardialgia, ad vomitum proclivitas, quae irritantes ma-

terias in ventriculo latitare significant, levia emetica, ut aliquot ipecacuanhae grana, utilia sunt. Etiam ad remedia confugiendum est, si dysenteria, ut saepe evenit, relinquat incommoda. Si ex. gr. permaneat tenesmus, et nimia intestini recti sensibilitas, prosunt clysteres ex decocto hordei papaveris et lacte, aut decocto florum chamomillae cum aliquot guttis laudani liquidi, et interius aliquod granum extracti hyoscyami: si amisso robure, digestionis organa non absolute conficiant alimenta, haec ministrentur leviora, et digestu facillima, eodemque tempore usurpentur tonica. Si residua mala nullo modo abigi possunt, omnibus praestant animi quies, vitae regimen, rusticatio. Ad amovendam recidivam, in quam prona est dysenteria, convalescentiae tempore accurate effugiantur aëris frigidi, humidi, variabilisque injuriae, et regulae diaeteticae adamussim observentur. Alimenta igitur sint levia, satis nutrientia, et quae expedite concoquuntur, donec redeat perfecta sanitas, et organa gastrica recipiant vires; et modica exercitatio corporis, ut deam-

bulatio, equitatio, vectio in rheda, appositis horis fiat. Sed satis sit de fluxibus.

FINIS TOMI QUINTI.

INDEX

CLASSIS V. *Profluvia*

Generalia de profluviis pag. 5

ORDO I. *Profluvia sanguinea*

GENUS I. *Epistaxis* 29

GENUS II. *Haemoptysis* 39

GENUS III. *Haematemesis* 60

GENUS IV. *Haemorrhois* 74

GENUS V. *Haematuria* 99

GENUS VI. *Metrorrhagia* 109

ORDO II. *Profluvia serosa*

GENUS I. *Ephidrosis* 134

GENUS II. *Epiphora* 144

GENUS III. *Ptyalismus* 155

GENUS IV. *Diabetes* 167

GENUS V. *Enuresis* 193

ORDO III. *Profluvia mucosa*

GENUS I. *Otorrhoea* 203

GENUS II. *Blennophthalmia* 210

GENUS III. *Blennothorax* 215

GENUS IV. *Blennuria* 225

GENUS V. *Blennurethria* 232

GENUS VI. *Leucorrhoea* 266

GENUS VII. *Gonorrhoea* 287

GENUS VIII. *Galactirrhoea* 296
ORDO IV. *Profluvia abdominis*
GENUS I. *Vomitus* 305
GENUS II. *Ileus* 329
GENUS III. *Cholera* 342
GENUS IV. *Diarrhoea* 399
GENUS V. *Dysenteria* 427

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Collegii Medici-Chirurgici
V. Praeses.

NIHIL OBSTAT

D. Paulus Delsignore P. Prof. Cens. Theol.

IMPRIMATUR

F. D. Buttaoni O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

A. Piatti Archiep. Trapezunt Vicesgerens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google